Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
9
8 H A
25

Digitized by Google

[illegible]

HISTORIA

HOC EST

PAPARUM VIT[illegible]

Paulò accuratiores, quàm quæ hactenus prodierunt.

Excerptæ ex illorum Literis, ſacris Conciliis & Scriptoribus Sacro-prophanis.

Authore R. P. JACOBO GOUDOUR *Neracenſi, Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ Theologo.*

[redacted]

TOLOSÆ

Excudebat RAYMUNDUS BOSC, Bibliopola in vico Portæ Arietis.

M. DC. LXXXII.

Cum Approbationibus & Superiorum Permiſſu.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

9. S. A 25

Digitized by Google

*SOLI in terris Chriſti
Vicario
Urbis & Orbis Epiſcopo
Oecumenico
Fide Petro, ſollicitudine
Lino,
Zelo Clementi, diſciplinâ
Victori,
Electione Fabiano, genero-
ſitate Cornelio,
Pietate Damaſo, moribus
Innocentio,
Indole Cæleſtino, magnani-
mitate Leoni,
Severitate Gelaſio, humi-

*Quia ſoli in Petro juſſũ, paſce agnos meos & oves meas.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ã ij

Digitized by Google

litate Gregorio,
Conſtantiâ Martino, boni-
tate Agapeto,
Tolerantiâ Silverio, vigi-
lantiâ Adriano,
Monitis Nicolao, fortitu-
dine Alexandro,
*II. *Erga cognatos & affines* *
Marcello,
*V. *In Turcas* * *Pio, in Calvi-*
*V. *niſtas* * *Paulo.*
Erga Polonos Urbano,
Illuſtrium deceſſorum Ana-
cephalæoſi ſive Compen-
dio,
Succeſſorum Exemplo,
Chriſtianæ Ethices Vindici,
Summis in divitiis paupe-
ri,

Digitized by Google

Eleemoſynis celebri,
Sine ſanguine Martyri,
Sine pugna victori,
* *ADMIRANDORUM Miraculo* — * Paparum
Geſtis magis * *PAPÆ, quàm titulo,* — * Admirando.
Operibus & appellatione Sanctiſſimo,
Pontifici Optimo, Maximo,
Noſtri ſæculi Melchiſedecho,
Neque id naturâ, ſed gratiâ,
Utque uno in verbo omnia dicam & ſingula,
INNOCENTIO UNDECIMO
Iſtam ADMIRANDO-

Digitized by Google

RUM Hiſtoriam,
Hoc eſt SUAM,
Sive PAPARUM vitas,
Primitias ſaltem
Advolutus humillimè beatiſſimis genibus
Et poſt ſolita pedum oſcula
D. D. D.
Cinis & Pulvis
Filiorum omnium minimus
JACOBUS GOUDOUR
Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ Theologus.

Digitized by Google

PRÆLEGENDA LECTORI.

PAUCIS te velim, Lector benevole: quatuor ſunt, quæ ante omnia in iſto limine te non modo doceri deceat, ſed oporteat; & me docere, titulum operis, cauſam, conſilium, fructum. Quæ ut eliquatiſſimè pateant, dividimus hoc proœmium in ſubſequentes paragraphos.

§. I. *Exponitur titulus.*

Cum *titulus operis nihil aliud ſit*, ut ſcitè & eleganter ait Picus Mirandulanus in reſponſione de Ente & Uno, *quam breve* & circumciſum *proœmium, ſeu parva operis delineatio; viciſſimque ipſum proœmium ſit titulus diffuſus*, aut explanatio tituli; ſi fortè ſit obſcurior: ideò & molientes ſcribere geſta & vitas Romanorum Pontificum operæ pretium facturos nos credidimus, ſi quæreremus titu- *Quid ſit titulus.*

lum nobilem & majeſtati reſponden-tem argumenti; qui depromptus è viſ-ceribus cauſæ primâ fronte adumbra-ret eam continuò: & ultrò ſe nobis obtulit, qui viſus convenientiſſimus, & quem idcirco præfiximus in capi-te noſtri operis, *Admirandorum Hi-ſtoria.* Iſtius tituli fatum eſt, ut eru-ditis liqueat ſtatim; nubes ècontra ſit indoctioribus & myſterium, rem-que illis exhibeat in ænigmate. Cum ergo intelligam *ſapientibus & inſi-pientibus debitorem* me eſſe, ut Apo-ſtolus loquitur; probèque ſciam ex viris etiam elegantis & floridæ lite-raturæ eſſe complures, qui non mo-do hæreant circa inſolentem hunc ti-tulum; ſed qui omnino ſimiles illis, de quibus Judas Apoſtolus, *quæ-cumque ignorant, blaſphemant*; car-punt illum paulò atrociùs quam par eſſet, obtrudentes fermè cum ſtoma-cho; *durus eſt hic ſermo, ecquis po-teſt eum audire?* & inclamantes ſub-inde libri titulum debere eſſe facem vel ſolem, non ſigillum illius aut nu-bem; debere eſſe oſtium apertum, non obſeratum; ſpeculum, non æni-

gma; lectores eſſe homines, non Oedippos; facilitate duci, difficultatibus avocari, ſi quæ præſertim inhorreſcant in limine: ideo temperantes ab iis, quæ retorqueri meritò poſſent in Momos & intempeſtivos illos cenſores; ut habendam non minùs iis gratiam, qui quod latet, edocere nos velint, quam monſtrantibus ignotam margaritam aut theſaurum abſconditum: titulum eſſe nonnumquam obſcuriorem non ratione ſui, ſed noſtri, nec tam vitio noſtro quam ſuo: idque ſi fortè occurrat aliquando, uſurpandum, quod ſcriptum; *quærite & invenietis, pulſate & aperietur vobis*: ideò inquam, conſulturi ſupinitati eorum vel oſcitantiæ interpretamur ante omnia titulum noſtri operis.

Præmonemus inprimis ineſſe magnum diſcrimen inter *hiſtoriam Admirandam & hiſtoriam Admirandorum*. Primam ſcripſit vir non minùs pietate clarus quam dignitate Alphonſus Paleotus Archiepiſcopus Bononienſis: ſicque appellat librum, cujus titulus eſt; *Explicatio Sacro-*

Diſcrimen inter

hiſtoriā Admirandam & Admirandorum.

ſanctæ Sindonis ſeu ſepulchralis Sudarii Jeſu Chriſti (quod olim Camberij in Sabaudia, Taurini nunc aſſervatur in Pedemontio) in quo cum impreſſa viderit ipſe oculatus teſtis amoris ſimul & doloris Chriſti veſtigia ſive miracula: ideò & eorum fuſior explanatio, quam contexit eo libello, vocata jure ab eo fuit. *Hiſtoria Admiranda*; nos verò edimus *Admirandorum Hiſtoriam*. Cumque titulus ille perſplendidus ambiguitate ſeu æquivocatione dictionis poſſet inſinuare lectori, per *Admirandorum Hiſtoriam* nos intelligere & texere vel colligere iſto opere narrationem miraculorum ſeu rerum admirabilium in univerſum: idcirco indicaturi quo ſenſu à nobis ſumerentur hæc duo tituli verba, poſt illa continuò ſubjecimus proximè ad explicationem, ſive *Paparum vita*; ut ita liqueret omnibus ipſo oculorum intuitu, per *Admirandos* nihil nos intelligere niſi *Papas* & per hiſtoriam *Admirandorum* niſi vitas *Paparum*.

Neque id nos ex noſtro marte; quanquam & ſi nulli alij anteceſſiſ-

Digitized by Google

ſent, meritò id poſſemus, qui Græcæ linguæ non planè rudes novimus eo idiomate ſonare idem *Papam*, quod mirabilem vel admirandum. Et quamvis ſuppetant, qui ante nos hanc dictionem explanaverint eo pacto; intelliget hauddubiè ſapiens Lector uſurpatam eam primùm à nobis in hoc ſenſu; uſurpatam, inquam, non adinventam. Hauſimus enim illam à doctioribus, qui dignitatem Papæ ſentiunt eſſe mirabilem, ejuſque nomen omnino admirandum deflectunt ab admiratione. Hujus apicis perculſus ſuperexcellenti celſitudine Cancellarius Academiæ Pariſienſis Gerſon ſuo de *poteſtate Eccleſiaſtica* tractatu *Conſideratione XI.* poteſtatem illam Romani Pontificis vocat *ſtupendam & miraculoſam.* Sunt & qui habitâ ratione tam ſtupendi faſtigii cenſeant eâ de cauſâ audire illum & nominari Papam, ideſt *mirabilem ſeu admirandum.* Dictionem illam ſic exponi à nonnullis prodit Remigius Altiſſiodorenſis opuſculo de celebratione Miſſæ: *Papa*, inquit, *ſecundùm quoſdam dicitur Admirabilis ſeu Co-*

ronatus. Probè aſſequor, cur admirandus audiat, non item cur coronatus. Eamdem hujus vocis ſignificationem affert Alvarus Pelagius, cum libro primo de Eccleſiæ planctu articulo 54. *Verè*, inquit loquens de Papa, *eſt admirabilis, quia vicem veri Dei gerit in terris.* Nec mirabilis tantùm ea dignitas, ſed & datum illi nomen ab admiratione, quod tanta ſit & tantæ ſublimitatis; ut ſuſpicere eam omnes, nemo explicare eloquio, nullus capere animo eam poſſit. Idque inter ſcriptores doctrinæ politioris prodit vir cultioris ingenij Petrarcha; qui libro ſecundo de vita ſolitaria c. 18. proſequens laudibus Cæleſtini V. ſpontaneæ abdicationis magis miraculum quam exemplum hæc eleganter habet: *Reliquerunt alij naviculas ſuas & retia, alij poſſeſſiunculas, alij telonium, alij regna vel ſpem regnorum; ſecutique Chriſtum Dominum facti ſunt Apoſtoli, facti ſunt ſancti & amici Dei. Papatum verò, quo nihil eſt altius, rem tam exoptatam tamque mirabilem; ut ab ADMIRATIONE vel STUPORE*

Papæ nomen ab admiratione.

dictam ferant, quis ullâ ætate præſertim exquo tanto in pretio eſſe cœpit; tam mirabili & excelſo animo contempſit, quam Cæleſtinus priſtinum & nomen & locum & amicam bonis moribus egeſtatem appetens?

Sumpta in hoc ſenſu vox *Papæ* ſuam deflectit originem à *παπαί* dictione Græcâ, quæ eſt interjectio animi attoniti ſeu admirantis. Et hanc affingunt doctores Epiſcoporum Epiſcopo Pontifici Romano ob admirabilitatem vel admirationem, quam meretur & ipſis adſpirat etiam angelis divina illa dignitas omnium Alpha & Zenith; præ qua majeſtas omnis & celſitudo ſæculi parum eſt omnino vel nihil. Eminentiam, ut ita loquar, eminentiſſimam dignitatis hujus eminentiſſimæ aſſequebantur ex parte, ſaltem, quotquot illâ retrò Papæ defuncti: ſoli Gregorio VII. venit in mentem majeſtatem illius repræſentare utcumque & adumbrare inſigni & inuſitato vocabulo; cujus nudâ & ſolâ pronuntiatione manifeſtè liqueret, quanta illa eſſet & quanti æſtimanda. Cum enim intelligeret emunctiſſimæ naris

Vnde fictum Papæ nomen.

Pontifex, quanta illius eſſet *longitudo, latitudo, ſublimitas & profundum*, nec ullam inter homines percrebuiſſe adhuc aut vigere ſuo ævo peculiarem dictionem, quæ ampliſſimi apicis ſuperexcellentiſſimam excellentiam exprimeret; ſentienſque pro ſua ſapientia admirandam illam plenitudinem poteſtatis deſignari non poſſe, niſi voce quæ tota admirationem innueret vel ſonaret; & hanc prærogativam inveniri luculenter in Græcanica interjectione παπαί: ideo nomen *Papa* vulgare olim & vile paſſimque attributum ex uſu non Epiſcopis tantùm aut ſacerdotibus, ſed & clericis etiam inferioris ſubſellij, aſſumpſit ſibi impoſuitque velut proprium; ut quod inquiunt dialectici, Romano Pontifici competeret *quarto modo ſoli*, ſcilicet, *omni & ſemper.* Idque edixit idem Pontifex his verbis canone nono ſui Dictatus: quod *PAPA EST UNICUM NOMEN IN MUNDO.* Et hoc quam optimè. Cum enim calleret apprimè vir ſapientiſſimus nomina ex Platone eſſe eſſentiarum *plan-*

Papæ nomen tributũ ſoli Rom. Pontif.

ſtra ſive *vehicula*; ſeque ex Bernardo l. 2. de Conſideratione c. 8. eſſe *poteſtate Petrum & unctione Chriſtum*; quò ſuo titulo præ ſe ferret ſe & Vicarium eſſe illius, qui ab Iſaia c. 9. vocatur *Admirabilis*, ſuamque ipſius dignitatem eſſe prorſus *mirandam & admirationem ſpirare* addixit illi & affixit velut ſigillum & indelebilem caracterem auguſtiſſimam nuncupationem *PAPÆ*, quæ tota *admirationem* ſonat & ſpirat: ut culmini omnium maximo & diviniſſimo reſponderet nomen omnium maximum & diviniſſimum, ſolâque ejus pronuntiatione internoſceretur continuò ab aliis & innoteſceret omnibus *tantò meliorem Angelis*, Epiſcopis ſcilicet reliquis & ſacerdotibus, Papam eſſe *effectum*; *quantò differentius præ illis nomen hæreditavit*, ut de Chriſto Domino ſapientiſſimè Hebræorum c. 1. argumentatur Apoſtolus. Quæ cum ita ſe habeant, percontanti quodnam ſit ejus nomen; poſſit Romanus Pontifex reſpondere, quod Judicum 13. c. Angelus interroganti Manüe: *cur quæris nomen meum*,

quod eſt mirabile. Poſſimus & nos reverenter & erumpente plauſu, cum Papa ſit totius mundi Dominus ſuo modo & terrarum diminuta divinitas, aggratulantes dicere illi : *Domine dominus noſter quam admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra*!

Ex his ſatis ſuperque palam eſſe exiſtimo ; an oſtentationis & novitatis prurigine vel ſapientiæ ſtudio, an jure vel injuriâ noſtra hæc lucubratio de vitis Romanorum Pontificum inſolenti & inuſurpato hactenus, quod ſciam, aliis earumdem ſcriptoribus titulo inſcripta à nobis fuerit *Admirandorum hiſtoria.* Sit jam.

§. II. *Cauſa ſcribendæ hujus hiſtoriæ.*

Solâ tituli lectione liquet, quodnam ſit argumentum operis à me ſuſcepti ; ſuſcipiendi cauſa non item. Utriuſque tamen noſtrûm intereſt, amice Lector, ut eam noris ; eoque conſilio legas ſerenis oculis & totâ tranquillitate animi iſtum paragraphum. Nec enim ambigo, quin futuri ſint complures Momi & magno numero ; qui noſtram operam reprehendentes ut ſupervacaneam latrent.

Digitized by Google

& cum ſtomacho dicant *actum nos agere; canere ſcilicet eamdem cantilenam & eâdem nos oberrare chordâ, quâ alij; ambitionis eſſe vel ſtultitiæ literatorum palato apponere toties & toties eamdem crambe[...] & multiplicare, quod Philoſophi aiunt, entia ſine neceſſitate: bibliothecarum pluteos non abundare ſed redundare miſerrimis libellis, qui echones aut ſcribæ puri puti detruncant fœdiſſimè vel recantant, quod primi; nauſeare orbem eruditorum & cordatos homines ad hos cibos leviſſimos iterum atque iterum & recoctos tam ſæpe citra ullum condimenti lenocinium; noſtri animi fœtum fore ejuſmodi; hanc ipſam ornaſſe Spartam, eamdem ſcilicet ſcripſiſſe dudum hiſtoriam viros inſigniores omnium ordinum & magni nominis eleganter, floridè, & cum plauſu: temeritatis eſſe poſt emeritos tentare idem & deſudare rei, quam tot illuſtres & tam clara ingenia illuſtrarũt perſplendide. Quaſi verò aliqua illis intacta aut prætermiſſa eruere ex adytis, aut poſſimus eadem commemorare ſtilo magis florido & ele-*

ganti; quaſi verò videre valeamus aut ſubodorari, quæ tam ſagacium nares, quæ oculos Argorum & Lincium, totque diligentium ſcriptorum ſedulitatem & laborem improbum fugerint.

Non ſum neſcius, ut loquar cum Platina ſuâ præfatione ad Sixtum IV. *futuros quoſdam, qui dicant me hoc onus fruſtra ſuſcepiſſe, cum id antea à pleriſque ſit factum.* Hæc & alia id genus jam præſumpſerã animo, ut non novum eſſe, ſed tritiſſimum, quod adornarem; noveram maximè, idque ingenuè fateor, præreptam nobis hujus operis palmam à viris excellentibus & omnium ordinum; veteres & novitios decurriſſe hoc ſtadium diverſiſque idiomatis concinnaſſe iſtam hiſtoriam: noveram huic deſudaſſe datâ operâ ſeu *ex profeſſo* & unicè non quidem Damaſum Papam [quod perperam aliqui ſomniant] ſed Anaſtaſium, Frodoardum, Platinam, Simonetam, Jannetum, Trivultium, Onuphrium, Maſſonum Ciaconium, Bordinum, Marcum Guadalaiarum, Coriolanum, Quercetanum ſive Duquenium, Ribotium, Gautru-

Qui ſcripſere vitas Roman. Pontificum.

chium: & præter illos libaſſe eas ſparſim & obiter in decurſu Bergomenſem, Carranzam, Coëfetelium, Binium, Genebrardum, Duplexium, Mezeraïum & Alexandrum. Et poſt illuſtre illud ſcriptorum examen nubemque illam ſplendidam inſignium hujus hiſtoriæ tractatorum non libuit tantùm ex delitiis & animi gratiâ; ſed operæ pretium me facturum exiſtimavi, meriturumque me non mediocriter de Romano Pontifice & republicâ Chriſtianâ: ſi meam huic tabellæ manum & ipſe admoverem, & vel omnium ultimus eumdem inirem campum ad ſpicilegium collecturus meum manipulum: de quo ratione habitâ aliorum utinam tam ſincerè verum eſſet quantùm ad excellentiam ſcriptionis, quam futurum eſt verum quantum ad molem ſomnium Joſeph: *Putabam nos ligare manipulos in agro & quaſi conſurgere manipulum meum & ſtare; veſtros manipulos circumſtantes adorare manipulum meum.* Quamvis planè & liquidò noſſem hæc omnia, non modo libuit ſed & neceſſarium cenſui

Geneſ. 27. 7.

adhibere ſtylum huic operæ; quod quia myſterium eſt, ſuſcepti à me laboris cauſam expono. Non nova eſt, fateor, noſtra hæc hiſtoria; proſecuti eam ſunt plurimi ante nos; polliciti ſaltem, nec unus adhuc dedit: ſcripſere quidem omnes, ſi conſulamus titulos; nullus, ſi rem; cum nemo conſummet opus, vix libet. Contenti enim Lectorem capere majeſtate tituli micas tantùm aut ſtillas aliquot apponunt eſurienti & ſitienti palato, relinquunt illum interim jejunum atque ignarum rei, quam promiſerant ſe docturos. De illis num poſſit dici, quod Horatius de ſplendido promiſſore?

In quo peccarunt qui ſcripſere vitas Rom. Pontificum.

Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu?
Parturient montes, naſcetur ridiculus mus.

Nec parcitate tantùm peccatum eſt in hac hiſtoria: ſed & prolixitate. Aliqui enim parum memores veteris dicti, *nè quid nimis*, hærendumque mordicus argumento, nec excurrendum umquam extra carceres niſi interdum & opportunè, excurrunt

in alienam materiam; & inſerunt ſæpe ſæpius & ad nauſeam; quæ extra rem & decorum; ut dicantur ſcribere non ſimplicem & peculiarem hiſtoriam Paparum, ſed univerſalem aut mixtam; adeo inferſere has vitas parergis & intempeſtivis digreſſionibus, ut vera farrago ſit, non hiſtoria; è qua qui ſupervacanea & adſcititia reſecuerit, *ex elephanto*, quod aiunt, *evadet muſca*; id eſt è grandiori volumine fiet libellus. Utrique æquè damnabiles, & qui nimis, & qui non ſatis; ut qui non impleant numeros boni & ſinceri hiſtorici, qui neque debet deficere nec redundare. Levior tamen illorum culpa; qui circumcisè & parcè, quā qui laſciviunt & ſe effundunt pueriliter in quamcumque materiā veri magis *Sciuri*, quàm ſcriptores.

Judicium de Scriptoribus hiſtoriæ Pontificalis.

Fatum eſt vel infelicitas eorum, qui edidere hactenus illam hiſtoriam, ut impingentes in alterutrum illorum ſcopulorū prolixitate peccaverint vel brevitate. Quod nè cui videar dicere moroſitate animi vel invidentiâ & faſtidio

Digitized by Google

meliorum aut deſiderio nominis, velleque me per fas & nefas mihi famam facere & meæ velificari gloriæ alienæ diſpendio: placet hîc breviter ſubjicere oculis, quibus quiſque vitiis ſuam imprudenter infecerit & deturpaverit operam.

De Anaſtaſio. Occurrit primus & antiquiſſimus omnium Pſeudo-Damaſus ſeu Anaſtaſius; qui cũ eſſet Bibliothecarius S.R. Eccleſiæ, ex ejus ſcriniis eruens, quæ in iis erant recondita, librum contexuit appellatum vulgò *Pontificalem.* Eo in opere duo ſimul eminent ad horrorem pugnantia inter ſe mirum in mundo brevitas & prolixitas, *Brachylogia* ſcilicet & *Macrologia*: Brevitas, quod involvens ſilentio Romanorum Pontificum geſta inſigniora eorum tantùm ſucceſſiones, ordinationes & diem mortis commemoret, nihil aliud: prolixior interdum vel ad nauſeam in recenſendis minutiis, donariis maximè, quibus locupletarunt Eccleſias. *Vtinam*, de illo ſapienter ait Eminentiſſimus Annaliſta, *auctor ita diligens fuiſſet ad res geſtas ſingulas ipſorum Romanorum*

Vitia Anaſtaſii.

Ad ann. 847. n. 27.

Pontificum conſcribendas; ut in his modicis recenſendis ſe exhibuit ſolertiſſimum. Verùm & ſi iſta minimè prætermitti debuerunt; minimum tamen obtinent locum in hiſtorica facultate reſpectu aliorum, quæ in moderanda univerſali Eccleſia univerſalem omnium Paſtorem die noctuque oportuit laborando jugiter peregiſſe. Præter hæc duo vitia infuſcat Anaſtaſius nonnumquam ſuum librum tenebris planè Cimmeriis enumerando præſertim ſacrarum ædium ornamenta: ut nec ſoles eruditorum poſſint eas pervadere & fateatur candidè ipſe Baronius caligare ſe in his ſæpe ſæpius. De eo Cardinalis Bona in Notitia ſcriptorum, quam præmiſit pio & erudito operi de divina Pſalmodia, ſic citra affectum cenſet: *Anaſtaſius Abbas & Bibliothecarius Græcè & Latinè doctus. In vitis Pontificum plura ſunt vocabula illius ætatis, quâ vixit circa finem ſæculi noni, tunc omnibus cognita, nunc obſcura & difficilia.* Sunt qui ſentiant ſuam clauſiſſe illum hiſtoriam in Nicolao I. ſunt, qui protractam putent ad uſque

Joannem VIII. quo ſedente conſtat fuiſſe eum adhuc in vivis. Cenſet èçontra poſt Onuphrium ſuis in Platinam notis poſt vitam S. Petri Gilbertus Genebrardus inchoatum à Damaſo Papa & aduſque ſuum perductum tempus librum Pontificalem ſortitum plures & diverſos ſcriptores; ita ut Anaſtaſius eum continuaverit à Damaſo ad Nicolaum primum, ab illo ad Alexandrum II. Guillelmus ſimiliter Bibliothecarius, ab Alexandro ad Honorium II. Pandulphus Piſanus, ab illo ad Honorium IV. Anonymus ex Martino Polono, ab Honorio ad Urbanum VI. Theodoricus Niem; manum denique ultimam aduſque Martinum V. ad quem perductus eſt liber Pontificalis, admovit illi incertus & incognitus author. Quocumque modo ſe res habeat, circumciſè ſcripſerit Anaſtaſius & obſcuriùs aliquando; non parum illi debemus; ut qui in hiſtoria Pontificia primus tentaverit, quod in Eccleſiaſtica Euſebius Cæſarienſis, qui libri primi capite primo profitetur ſe, ideo deſudaſſe huic

lib. 3. Chronol in Damaſo.

In quo laudabilis Anaſtaſ.

Digitized by Google

huic operi, quod exploratum haberet, *neminem ſcriptorum Eccleſiaſticorum in iſtud ſcribendi munus operam ſuam & diligentiam hactenus contuliſſe*. Eo igitur nomine benè meritus Anaſtaſius de republica christiana, quod cœperit & primus, licet minùs feliciter, iſtud decurrerit ſtadium. *Magnæ enim gratiæ ſunt habendæ*, ut ſapienter inquit Ariſtoteles, *iis qui in unaquaque re fuere primi auctores*; etiam ſi ſuperficie tenus aliquid dixerint: conferunt enim aliquid etiam iſti, eò quod exerceant noſtrum ingenium & ſint in cauſa, ut res expoliantur in dies & evadant perfectiores, cum facillimum ſit inventis addere. *l. 2. Metaph. text. 2.*

Coævus fere Anaſtaſio Frodoardus Canonicus Rhemenſis proſecutus idem argumentum, ſed non eodem ſtylo, vitas Romanorum Pontificum ſtrictâ oratione ſcripſit à Proto-Papa Petro ad uſque Leonem ſeptimum. Anaſtaſij ſimius & imitator peneque exſcriptor nihil habet propemodum quàm quod ille; in hoc tantùm diſſimilis, quod eadem alio modo: brevitas eadem, & religio circa minu- *De Frodoardo.*

ē

Digitized by Google

tias, quas ſigillatim & ad faſtidium narrat velut uniones pulcherrimos: minùs tamen religioſus circa accentus & quantitatem carmina non tam effudit quam monſtra peperit è vena ſterili & muſis parum faventibus; verſus cum procuderit veluti malleo totos de pago & rure, ideo & verſificator ſed non poëta; ut qui nullis elegantiis rideat, nec figmentis admirabilibus condierit aut illuminaverit ſuam hiſtoriam. De hoc Frodoardi opuſculo nihil veteres; lateret adhuc, niſi erutum è Bibliotheca Carmelitarum Diſcalceatorum ſuburbii Pariſienſis S. Germani & aſſutum ad calcem ſecundæ partis tertii ſæculi Benedictini feciſſet juris publici de Chriſtiano orbe ſuis lucubrationibus benè meritus vir ſolidæ & reconditæ eruditionis doctiſſimus Mabillonius Congregationis celeberrimæ S. Mauri. Cujus elegantiæ fuerit initium hujus operis, quod interiit; colligimus ſatis ſuperque ex barbaris & impolitis reliquiis ſive fragmentis; quæ à Gregorio II. ad uſque Leonem VII. nobis ſuperſunt.

Digitized by Google

Poſt duos illos ſcriptores Anaſtaſium & Frodoardum emerſere ſubinde per intervalla continuatores libri Pontificalis, de quibus ſupra; qui proſecuti vitas Pontificum eâdem brevitate & barbarie, quâ Anaſtaſius, ſcripſere illas per partes: donec tandem ſub finem ſæculi decimi quinti vir cultioris ingenij Baptiſta vel Bartholomæus Platina juſſu Sixti IV. [ut ſuâ ad eum præfatione teſtatur ipſe his verbis: *Tu itaque theologorum ac philoſophorum Princeps maxime Pontifex dignitati Eccleſiaſticæ conſulens non fruſtra mandaſti; ut res geſtas Pontificum ſcriberem*, juſſu, inquam, Sixti IV. cui cariſſimus erat & à quo Bibliothecæ Vaticanæ fuit præpoſitus; laborem aggreſſus hactenus intentatum vitas omnium Pontificum unâ ſerie ſcripſit à Petro ad Paulum II. *Iudiciũ de Platina.* Inde factum, ut Sol hiſtoricorum habitus vulgò fuerit paſſimque audiat in hoc genere: multis tamen maculis & atris nubibus hunc infuſcari ſolem fatentur eruditi. De illo Ciaconius hæc ex vero in ſua ad vitas ſummorum Pontificum Iſagoge: *Bartholo-*

meus Platina, inquit, *Cremonenſis vir profectò diligens & multæ variæque lectionis; qui juſſu Sixti IV. Papæ ante centum ferme & viginti annos vitas omnium Pontificum ſcribere aggreſſus à B. Petro Apoſtolorum Principe ad Pauli II. Veneti Pontificatum pervenit & eidem Sixto IV. Liguri editas nuncupavit. Verùm dum profana & peregrina tanto ſtudio proſequitur atque externis totus incumbit; ſuſceptum propoſitum videtur deſerere nec tam Pontificum vitas, quàm alienorum geſta deſcribere, circa quæ referenda diffuſus & amplus: circa tamen proprium inſtitutum reſtrictus, jejunus atque contractus; & quod pios magis offendit, maledicus & conviciator acerrimus multorum Pontificum, quos ſolâ libidine detrahendi nihil tale cōmmeritos conviciis inſectatur, & petulanter atque procaciter mordet & lacerat.* Concors illi Gilbertus Genebrardus ſuæ Chronologiæ libro quarto in Bonifacio VIII. aſſerit fuiſſe eum valdè & ſupra omnes propenſum *ad notandas Pontificum maculas*. De illo Bona

Cenſura Platinæ.

Quam malè affectus in Pontif.

tractatu jam laudato. *Baptiſta Platina vir doctus, ſed in vitis Pontificum parum verax.* Agnoſcunt omnes, agnoſcimus & nos hos nævos in ſcriptore: neutiquam ipſe, adeo cæcutimus in noſtris. Subodoratus tamen fore, qui deſiderarent in eo & jure eum carperent, quod geſtis Pontificum maritaſſet geſta & imperatorum & procerum, deprecaturus hanc culpam ad calcem ſui ad Sixtum IV. proæmii ſubnectit hæc ſatis pinguiter Platina in excuſationem: *Verùm jam tandem huic proæmio finem imponam, ubi lecturos priùs admonuero non eſſe mirandum; ſi cum Pontificum vitas & mores ſcripturum me pollicitus ſum, Imperatorum quoque, Principum ac Ducum res geſtas inſeruerim: adeo enim hæc ſimul connexa ſunt, ſi primos imperatores, dum chriſtianis adverſantur; ſi ultimos, dum favent, inſpicis; ut alterum integrè ſine altero exprimi nequiverit.* Benè ille, ſi id obſervaſſet cum modo, & meminiſſet, quæ cohærent hiſtoriæ vel argumento, debere inſeri ut ſaccharum aut ſalem ad

condimentum; non ad tumorem, ſed ad neceſſitatem; libanda, non haurienda; nec immorandum illis, ſed tranſeundum. Et quàm peccatum in hæc enormiter & fœdiſſimè à Platina; qui oblitus vitæ quam narrat, eâ tantùm non libatâ excurrit interdum ab ipſo limine in alienam materiam: nec reſumit argumentum propoſitum niſi poſt digreſſionum longarum diverticula omnino ſupervacanea. Quo vitio nullum eſt magis puerile & intolerabilius in hiſtorico; illud tamen noſtro ſcriptori uſque adeo perfamiliare eſt, ut nulla ſit fere vita Pontificis, quæ non ſcateat iſto nævo: imò ſunt in quibus ſic fœdè laſciviat ter & quater ad minus. Liquet in S. Petro, cujus in côntextu obtrudit importunè de Tiberio, Caligula, Claudio & Nerone, quæ nihil ad rem aut vitam S. Apoſtoli; idem in aliis & ejuſdem farinæ: effuſus mirum in modum & luxurians circa imperatóres & id genus parerga inſuaviſſima; parcus omnino & circumciſus & pene nullus in his, quæ oporteret circa Pontifices: adeo illi excidit ver-

Imprudentia Platinæ.

bum antiquum, *Hoc age.* Intelliget lucalentiſſimè, quàm ſit verum, ſi quis legerit vitam S. Damaſi Papæ: exorſus enim eam his verbis, *Damaſus natione Hiſpanus, patre Antonio Iuliani temporibus fuit*, relictâ illico narrationẽ, quam delibaverat; ita totus eſt in geſtis Juliani, ut non modo lectori faſtidium ſui pariat, ſed & ſtomachum: quod pollicitus vitam Damaſi propinet ſtolidè Julianum Apoſtatam. Quæ cum ita ſe habeant, conſultiùs feciſſet; ſi pro vulgari titulo, quem circumfert *de vitis Pontificum*, præfixiſſet de vitis *Imperatorum*, cum in his ſit fuſior & accuratior quàm in aliis. Unde non importunè in eum jactari poſſit, quod olim de Chryſippo philoſopho, qui cum ſuos libros amaret infercire teſtimoniis poëtarum, & nonnumquam inſereret tragœdias integras à primo carmine ad ultimum; ſolitus in eum ſalsè & facetè dicere Apollodorus, quod *ſi quis è monumentis Chryſippi decerpſiſſet, quidquid non ſuum erat, ejus librorum paginæ ſuperfuiſſent propemodum ſine literis.* Non ego

tam crudus in Platinam; dixerim tantùm & verè imo ad pœnam libri, quod ſi ex ejus paginis ſecernantur, quæ non ſunt Rom. Pontificum, liber ejus grandior decreſcet in libellum; atque *ex elephanto*, quod aiunt, *vix muſca, vel cornicula è cornice.* Verè *cornicula*: ſi enim ſinguli repetant Imperatores, quod ſuum eſt; vereor, nè implumem fermè illum relinquant & contingat Platinæ eadem pœna, quæ ſtolidæ volucri, de qua Horatius.

Nè ſi fortè ſuas repetitum venerit olim
Grex ovium plumas, moveat cornicula riſum.

Nec fortè minùs ſolerter & opportunè efferri poſſit, quod alter; qui cum teneret ejuſdem Chryſippi librum, in quo totam Euripidis Medeam exſcripſerat à capite ad calcem, rogatus quid ſcripti eſſet? repoſuit facetiſſimè, *Medea Euripidis*: ſic ſi quis legeret Platinam *de vitis Pontificum*, interroganti ſe quid operis legeret, num reſpondere venuſte poſſit & jure *vitas Imperatorum*? Hoc

Diogenes Laërtius in ejus vita.

amen non promittit, ſed facit.

Atrox illud peccatum contra matu-
itatem judicij cum ſit obvium in
Platina & incurrat continuò; tempe-
are mihi non potui; quin illud in-
ectarer verbis atrocibus: dignum-
que eſſet veniâ, ſi non farrago illa
cateret & aliis vitiis ſine numero.
Certè nec tanti eſt apud me iſte hiſto-
icus, nec libet pungere ſigillatim,
quæ perperam obtrudit & confundit
paſſim circa concilia, & chronologiā;
deo totus eſt in fabulis, hallucinatio-
ibus & anachroniſmis fœdiſſimis.
Putes verum eſſe Augiæ ſtabulum
n hoc genere, quod nullus Hercules
iterarius repurgare velit aut valeat:
iec attentare id auſus vir apprimè
ruditus, & qui id luculenter pote-
at, Onuphrius ſuis Notis in vitas
Pontificum Bartholomæi Platinæ. Sa-
is ſit tantùm præmonere ejus lecto-
em, ut numquam terat illum niſi
nagna cautelā, nè errores hauriat
ro veritate. Quî enim in humanis
it verax, qui vel in divinis fallit &
allitur: nam non ſolùm imperitè aſ-
erit in vita Chriſti Domini *mortem*

Errores Platinæ hiſt. Evang.

quorumdam dæmonum ſubſecutam continuò poſt ingreſſum ejus feliciſſimum in Ægyptum: ſed & contra hiſtoriam Evangelicam crudè ait, cum Chriſtus jam duodennis adiiſſet templum Jeruſalem cum parentibus, abeuntes peracto ſacro parentes *ejus eum ſubſequi non videntes plenos ſollicitudine rediiſſe ad templum.* Nec minùs ſtolidè errat; cum eodem capite inquit, *accuſatum à Judæis fuiſſe Chriſtum, quod baptiſmum Circumciſioni anteferret & abſtinentiam ſuillæ carnis auferret*: quæ quàm ſint à veritate abſona, nemo non intelligit, qui ſummis labris hauſerit Evangelium. Si in his, quæ fides adſtruit de Salvatore, imponat Platina tam imprudenter & ſtrenuè; quid non obtrudit in factis merè humanis? *Crimine ab uno diſce omnes*, Chriſtiane lector, & cave.

Judiciū de Symonetta.

Eamdem molitus operam Bonifacius Symonetta *Cornu* Abbas Ciſterciensſis Ordinis *de Chriſtianæ fidei & Romanorum Pontificum perſecutionibus opus divinum & inæſtimabile*, ut præfert libri titulus, nuncupavit

'arolo octavo Gallorum Regi. Auſ-
:catus à Petro deſinit cum Innocen-
o octavo. Non tam ſcribit ſeriò hic
oniſacius geſta Pontificum, quam
ımbit vel per tranſennam ſalutat, aut
umerat; nec ejus librum vocarim
ɔus, qui vix compendium & epi-
ɔme, indicat tantùm, non narrat,
bſit ſimiliter nuncupes opus *divi-
um*, quod vix grammaticum deceat,
:dum cordatum hominem: & ſi
uo pacto cenſeatur *inæſtimabile*, eo
ıaxime; quod ſit infra æſtimationem
ınnem & pretium. Pontificalem hi-
oriam ut amænaret, alternavit eam
ɔiſtolis ad amicos; & in his cum in-
ılgeat ſuo genio, nihil ad propoſi-
ım; ſed adeo ſunt intricatæ; ut
:ceſſe ſit oculatiores exclamare in-
rdum *fiat lux*; vel *Domine ut vi-
:am*. Eâ quæ conſequitur vitam An-
ri Papæ, videtur velle reprehendere
riter dictum Platinæ paulò morda-
us in præſules ambitioſos; qui ad
ilitatem imo voluptatem propriam
ſpicientes ut habeant unde expilent,
lictâ ſede macilentiori proſiliunt ad
nguiores: ſed obtuſa & mollior ni-

Digitized by Google

miùm illius reprehenſio nec ſalem habet nec aculeos neque dentes; & quamvis *Cornu* ſit Abbas, neſcit tamen ferire cornu.

De Iannetto, Franciſcus Jannetus juris utriuſque doctor non tam ſcripſit eaſdem vitas, quàm exſcripſit vel collegit [an apis inſtar an fuci] ex diverſis ſcriptoribus: liquet ex epigraphe, quæ ſic ſe habet, *Pontificum Romanorum liber ex veteribus Germanis auctoribus deſumptus*; à S. Petro decurrit ad uſque Clementem VII. Idem ille, quod alii; nec minùs circumciſus in his etiam Pontificibus, qui claruere geſtis eximiis: nonnumquam tamen excurrit, ſi quando nodus occurrerit; maximè in vita S. Silveſtri, in qua contendit multis probare fabulam donationis fictitiæ Conſtantini: In Leone tertio multa garrit de tranſlatione Imperij ad Carolum Magnum & de ea ſummi Pontificis prærogativâ; quâ, ut ait, principes ſæculares & reges inaugurare & dejicere, creare & mutare poteſt ad libitum. Prodit hic ſcriptor, quæ trita & quæ Anaſtaſius, nil ſingulare aſ-

Digitized by Google

ert. Quàm ſit brevis conſtat in Alexandro VI. Julio II. Leone X. & Clemente VII. de quibus multa hiſtorici, nihil tamen ipſe niſi propemodum nomen. Suggerere & alios poterat; fatigatus tamen labore illo Herculeo in iis fixit columnis ſuum *non plus ultra*, ut ille: ſubnectit tantùm ineptè iſta: *Secuti ſunt hos ad hæc uſque tempora & annum Domini 1570. alij deinceps in ſede Petri Pontifices cordatiſſimi; quorum geſta, vitam, pietatem, ſtudium, prudentiam & ſanctitatem valeas cum antiquorum Pontificum inſtitutis ex æquo comparare; ſed jam illos nominatim referre noſtrum non eſt.* Quid inſanius quàm ſuo prævaricari officio; ſuumque hiſtorici munus implere poſſe nec velle, & quod abſurdiſſimum eſt, ſe jactare, quod nolit?

Laudabilior & longè ſapientior Auguſtinus Trivultius Mediolanenſis eamdem ſcripſit hiſtoriam à S. Petro ad Paulum III. Quâ ſtyli elegantiâ & quo ſermonis nitore; an Aſiaticè, an Laconicè, breviter ſcilicet an fusè *Deus ſcit*, cum nondum prodierit

De Trivultio.

nec forte proditura ſit unquam Cardinalis meritiſſimi lucubratio. Quàm excellens ea fuerit, conjicimus ex egregiis ejus meritis & ſingulari ſapientiâ, quâ meruit à Leone X. accenſeri ſacro Purpuratorum Collegio. De eò Spondanus hæc tantùm: *Indefeſſo propemodum ſtudio Pontificum hiſtoriam per ſucciduā ſucceſſionē ad Paulum III. deductam ſcripſit; ſed morte præventus typis mandare non potuit.*

Ad an. 1517. n. 5.

Circa eoſdē Pontifices multiplex & omnino ſui diſſimilis Onuphrius Panvinius multifariam multiſque modis ſcripſit eorum vitas fuſè ſimul & circumcisè; nonnullorum fuſè, circumcisè cunctorum. Sentiens imperfectum circumferri Platinam ſuccenturiatus ultro illi decerptas à Volaterrano maximè & Paulo Jovio vitas Paparum quatuordecim, quæ à Sixto IV. deerant ad Pium V. adjecit è ſuo penu ad plenam Pontificalis hiſtoriæ notitiam. In his fuſus & diligens narrat accurratiſſimè omnia; nec modo facinora eorum laudabilia & ornamenta virtutum, ſed & maculas indigniſſimas, ſi quæ fœdarint illos; præſer-

De Onuphrio.

m in Alexandro VI. Ab hac lucubra-
iunculâ progreſſus ad grandiorem vir
octiſſimus edidit aliam, quæ am-
lior perſonarum & rerum multitu-
ine, vix eſt mole. Quàm circumci-
us ſit eo in argumento, indicat ti-
ulus, qui ſic habet: *Epitome Pon-
ificum Romanorum à S. Petro ad
Paulum IV.* In ea totus eſt in narra-
onibus compendiariis conclavium,
lectionum & geſtorum ſummorum
Pontificum: adjungit & quæ ad crea-
onem Cardinalium ſpectant & illo-
um inſignia. Adornando illi com-
endio non parum hauſit ſubſidii è
manuſcripto codice Cardinalis Tri-
ultii, de quo nos ſupra: idque pro-
tetur peringenuè vir religioſus &
ius in Clemente V. & Urbano VI.
dita malis avibus & præmaturè hæc
icubratio dolorem & pudorē incuſſit
uo auctori ob errores innumeros,
uibus ſcatebat; ideo & diſpicienda
lam ut abortum magis quàm par-
um, peperit alterum ſtyli fœtum,
ujus titulus *Chronicon Rom. Ponti-
cum.* Ejuſdem farinæ omnino, cu-
is aliud, plura dicit & nihil: plura,

quod comprehendat Pontifices fermè omnes; nihil, quod libet tantùm, nec prodat niſi, quæ obvia & quæ omnes. Nec paucis ſolùm ſed & pauciſſimis multa dicit, genus, gentem, patriam, dignitates, creationem, coronationem, & mortem: ſilet, quod eſt præcipuum in hiſtoriarum ſcriptore, & id cujus gratiâ ſcribuntur hiſtoriæ & leguntur, geſta ſingularia & quæ digna memoriæ. Dum typis daret hoc breviarium, amicorum hortatu prodit navatam à ſe operam emaculando multis & notabilibus mendis nec non & illuſtrando Platinæ; qui tunc temporis tam rarus erat, ut nullus pene eſſet nec extaret in officinis. Quantumvis autem eruditus eſſet Panvinius & in his optimus medicus & melioris notæ; ſuâ tamen arte non potuit curare errores, ineptias, hallucinationes & morbos putidiſſimos, quibus ſine numero & paſſim infercitur Platina. De Onuphrii Epitome hæc laudato ſuæ Iſagoges capite Ciaconius ſapienter *Quod præcipuè*, inquit, *Panvinio in Epitome priùs vulgatâ ab omnibus vitio datur &*

ntolerabile videtur; id eſt, Gerar-'um Burgundionem, Gregorium preſ-yterum, Octavianum Romanum, ;uidonem Cremonenſem, Robertum ;ebennenſem, Amadorũ Sabaudien-;m ſchiſmaticos..... Sedem Apoſtoli-am uſurpantes ſub titulo Sanctiſſimo-um Dominorũ noſtrorũ enuntiari & reationes Anticardinalium Cardi-alium ab ipſis factas, ut alias legi-mas, referri; & Cardinales hujuſ-odi nominari, qui Anticardinales ſent, ſicut Pſeudo-Pontifices vel Antipapæ, qui ipſos crearunt.

Nec in his ſolum dignus cenſurâ; d & quod præter opinionem ſcri-:orum imò & fidem Eccleſiæ, [quæ precibus publicis & Miſſæ Canone rtio loco Cletum recenſet, Cle-entem quarto] ordinem illum ſuo arte parum reverenter invertens lementem loco tertio, Cletum uarto, collocat in ſyllabo Rom. ontificum: intolerabilis certè illius nprudentia; quod in eodem recen-at Joannam Papiſſam; nec refellat orſus vel omnino molliter hoc fi-ionis monſtrum. Continuavit Onu-

phrium eâdem ſinceritate & copiâ à Paulo IV. ad Clementem VIII. Joannes Antonius Petramellarius Bononienſis.

De Papyr. Maſſone. Onuphrio ſynchronus ſeu coævus Papyrius Maſſo Pariſienſis Patronus eodem Pontifice, quo & ille, ſuam terminat operam, inchoat & ab eodem. Bonus omnino, ſi careret vitiis, quibus ſcatet paſſim in omnibus; eſſet ſcilicet religioſior circa digreſſiones inutiles & accuratior circa facta Pontificum memorabilia. Titulus operis inſolentior & pervius doctioribus tantùm *de Epiſcopis Urbis* ſpirat eruditionem reconditam polliceturque elegantem ſcriptorem; non reſpondet tamen illi contextus operis; nec docet niſi ſolùm ex parte, quod præfert tituli dignitas: putes vel *rem eſſe de mero titulo, vel titulum ſine re*; tam pauca ſunt, quæ de Pontificibus narrat: verè inops in copia. Auſpicatus à Petro nihil fermè de eo; totus eſt ut probet in hæreticos, qui negant moratum illum Romæ; demoratum non modo ſed crucifixum ea in urbe poſt collocatam in ea Ca-

Digitized by Google

hedram Apoſtolicam; cætera de Pe-
ro nè quidem libat. Idem in aliis,
brévis in omnibus, multis verbis nil
licit: cumque prætereat neceſſaria,
ontra decorum & hiſtoriæ canones
elinquit illam intactam, inſeritque
uperflua & quæ non cohærent: ut
erum dixerit, qui affirmet nihil fe-
iſſe minus Papyrium, quàm ſcripſiſſe
itas *Epiſcoporum Vrbis*; hunc qui-
em id promiſiſſe, neutiquam tamen
ervaſſe ſuum promiſſum. Quàm in-
empeſtivè excurrat, legenti vitas pri-
norum Pontificum Lini, Cleti &
Clementis, nè quid dicam de Da-
naſo & aliis, conſtabit luculenter.
Delineavit eos ſimiliter, ſcripſit ſci-
cet Paparum vitas & geſta Alphon-
is Ciaconius à S. Petro ad Innocen-
um VIII. Scripſit, inquam, non
lidit; cum præmaturus obierit an-
partum fœtus clariſſimi, qui po-
humus vitam accepit tandem ſub
lemente VIII. Præmonet auctor ſuâ *De Ciaconio.*
Iſagoge, evolutos à ſe codices ve-
ſtiſſimos, decretales, & monumen-
antiqua; luſtratas Urbis Bibliothe-
s & ipſam Vaticanam; habita cum

doctioribus crebra colloquia, & deſudatum impigrè totum decennium exornandæ aut expugnandæ huic Troiæ; *in conquirendis*, ut ipſe loquitur, *ubique terrarum rebus neceſſariis, quæ ad hoc opus ſarciendum, reficiendum, in melioremque formam redigendum, quam fuiſſet à pleriſque hucuſque factum, ſpectare videbantur.* Explanatis deinde ſigillatim vitiis, quibus Platina & Onuphrius ſuam infuſcarunt collectionem hiſtoricam, ſubdit iſta ad calcem primi capitis Iſagoges: *Inter utriuſque Platinæ & Panvinii extrema medius tutiſſimus ibo; ita ut cum Platina ad hiſtorias externas & quæ nihil habent cum Pontificia commune, non divertam & detrectandi libidinem ejus effugiam. Cum Panvinio intra metas ejus & clauſtra non me contineam, ſed ulteriùs ad Pontificum geſta deſcribenda ſuccinctè tamen progrediar: ex iis temperamentum exurget ſalutare & fiet ſubinde; ut diſtinctiora ſint omnia, lucidiora, majorique cum fructu & voluptate legantur.* Poſt tam exquiſitam viri ſapientiſſimi operam

Digitized by Google

: tam ſplendidum promiſſum quid
)erare jure poſſumus à ſtylo & lucer-
a viri diligentiſſimi niſi operæ pre-
ium & opus abſolutum omnibus nu-
ıeris ? ſed quantum abeſt: nam ſi
on perdidit omnino oleum & ope-
ım, non commendavit ſaltem eam
iſi apud amatorem farraginum. Lu-
ulentior certè eſſet & longè expedi-
or hujus operis moles, ſi illam non
neraſſet, inferciſſet & prægravaſſet
eſtis & inſignibus Cardinalium; quæ
ihil ad rem, vel paſcendis dumtaxat
culis puerorum. Sapientiæ fuiſſet ſe-
ernere, ut Itali dicunt, *Creaturas à*
'reatoribus; ſeorſim ſcilicet proſequi
: peculiari volumine, quæ ad Pon-
fices ſpectant; & alio, quæ reſpi-
iunt Cardinales & eorum facinora.
ic expreſſiſſet Deum O. M. qui *di-*
idendo aquas ab aquis, ſuperiores
) infimis, docuit, nunquam conjun-
enda geſta perſonarum eminentium
: dominorum cum geſtis ſubdito-
ım: ex hac admixtione numquam
aſci niſi farraginem, & horrendum
ıonſtrum omnino; fatigari eâ, non
ecreari lectorem; nec doceri res, ſed

confundi. Nec in hoc duntaxat peccatum à Ciaconio; ſed quod & plus det, quam promiſerit; pollicitus enim vitas & geſta ſola Pontificum ſcripſit incogitans annales; inſerit, quæ facta ſparſim per totum orbem & per Imperatores: & hæc digerit fuſiùs, quàm deceret. Infelix imò infeliciſſimus, qui inciderit in eamdem foveam, in quam Platina: factus quidem hujus Platinæ vitii cenſor non cautior idem admiſit, alieni mali medicus, contemptor ſui *feſtucam*, ut ita loquar, *vidit in alieno oculo*, *qui nec trabem in ſuo*, dignus planè, cui diceretur, *medice cura teipſum.* Plagiarius inſuper ſaltem ex parte & omnino ingratus; qui cum ſæpe ſæpius ex Platina & Baronio verbo ad verbum decerpat plures & uno ductu periodos & paginas interdum, ut liquet in Nicolao I. nec nominare eos dignatur. Mutilam Ciaconii hiſtoriam perfecit Franciſcus Cabrera Morales, perduxitque eam ab Alexandro VI. ad Clementem VIII.

Promiſerat Illuſtriſſimus Bordinus Avenionenſis Archiepiſcopus [quem

ıoris cauſâ nomino, ut qui amore
gulari coluerit ſanctiſſimæ memo-
virũ Cæſarem de Bus noſtræ Con-
gationis inſtitutorem] promiſerat,
ıuam, ſcripturum ſe geſta Rom.
ntificum. Liquet ſpecioſo iſto titu-
quem præfixit: *Joan. Franc. Bor-*
i Urbis & Orbis Pontificum ſe-
ſ & geſta; ſed vel ſuum non intelle- *De Bordino.*
titulum, vel contempſit: conſul-
ſ feciſſet, ſi ſuum opus inſcripſiſſet
ınales vel Baronianam epitomen:
n nihil reipſâ ſit, niſi contractus
decurtatus Baronius; omnia enim
ɔet, quæ ille, ſed paucioribus: à
:ro decurrit ad uſque Symma-
ım Papam.

Cautior eo Coriolanus, qui non
ɔonat, nec exhibeat lectori, quàm *De Coriolano.*
ɔd promiſit. *Breviarium* ſpondet
·onologicum conciliorum omnium
Pontificum: utrumque obit fide-
r, vitaſque *Admirandorum*, non
idem eo titulo, ſcribit paucis, &
guiori minerva, nec quicquam aſ-
: reconditi. Eodem modo quan-
n ad ſtylum id eſt incultè, fuſiùs
ıen concinnavit ſuam farraginem

Digitized by Google

Marcus Guadalajar: nec ſolum Pontificum eſt hæc hiſtoria ſed & univerſalis. Scripſit illam vernaculo idiomate Hiſpano, præfertque iſtum titulum, *Hiſtoria Pontifical y Catholica.*

Et Guadalajaro.

Proſequutus eam ſuo ſimiliter idiomate, Gallico ſcilicet, Andreas Quercetanus ſive Duchene produxit ejus ſeriem ad Paulum V. à S. Petro. Laborat eodem morbo, quo reliqui; quod excurrat non interdum, ſed ſæpe: ſtylus ejus inelegans & ſermo barbarus; fortè ex inurbanitate genii, qui vel non calleret veneres dictionis vel ſperneret. Fatetur ipſe ingenuè ſquallere iſtud quidquid eſt ſui operis, verbis ruſticis & inſolentibus. Pauca habet de ſuo, multa & ferme omnia è Baronii penu; tranſlator magis quàm ſcriptor; qui quamvis eruditus tam craſſus tamen eſt & oſcitans in nonnullis; ut ibi ceſpitaverit, ubi nec idiotæ propemodum. Liquet quàm nihili faceret reddere nomina inſularum & urbium ex uſu & vero; qui Corſicam vertit imperitè *Corfou*, qui non erubuit Patavium, Agatham & Epauram

De Duquenio.

Epaunam vertere omnino inſulſè; primamque illarum urbiũ vocare ineptiſſimè *Patave*; ſecundam *Agathe* & tertiam *Epaune*: cujuſmodi urbes nuſpiam extant iis nominibus.

Cultior illo & reliquis ejuſdẽ hiſtoriæ collectoribus longè elegantior noſter Auguſtinus Riboti; qui à S.Petro ad Clementem VIII. florentiſſimum ſertum contexuit è vitis Romanorum Pontificum; illudque inſeruit ſuo *Floro Chriſtiano* editionis poſtremæ. *De Auguſtino Riboti.* Opere illo poſſit optari aliud quidem prolixius, nullum terſius certè: argutè omnia in eo & preſſè: quodque eſt ſummopere admirandum, paucis multa & fermè omnia citra perſpicuitatis diſpendium: nec enim ille, ut qui ſcripſit, *brevis eſſe laboro, obſcurus fio.* Ubique idem, floridus, nitens, argutiis & ſententiis radians paſſim in contextu hiſtoriæ, quum Pontificum vitis; quæ velut uniones & margaritæ non patent multùm ſed multùm pendunt: Scriptoris enim ſapientiſſimi ea fuit prudentia; ut contrò multa omiſerit, nil tamen mali. Dignus, ſi quis alius, qui teratur.

Noviſſimus omnium Galtruchius conſummavit hiſtoriam Pontificiam, ſcripſit eam ſcilicet Gallicè à capite ad calcem, à primo Papa ad ultimum, ad Innocentium XI. à S. Petro. Et quamvis tabellæ iſti ultimus manum admoverit, non poſuit tamen illi ultimam manum; habet enim & ſuos nævos. Quod Paparum vitis ſubinde intexuerit ſtatum Eccleſiæ, in hoc non malè: malè omnino, videtur ſaltem; quòd ſæpe ſæpius nimis, & pluſquam aliquando non ſatis. Parcior in Victore, Cornelio, Stephano, Melchiade & aliis; in quibus complura narratu digna & ſcitu; nec libat ea vel per tranſennam; fuſior & ſuperfluus vel ad nauſeam in Anacleto, Julio, Liberio, Felice II. Damaſo, Siricio & hujuſmodi; in quibus multa & nihil; multa extra rem, nihil de illa, quia perparum: *parum autem pro nihilo reputatur*. Damnabilis omnino, qui in Soteris vita incogitans prætermiſerit decretum illius Papæ ſanctiſſimum & perneceſſarium iſto ævo; quo edixit, ut in Cœna Domini Chriſti corpus ſumeretur ab

Et Galtruchio.

omnibus; *iis exceptis, qui propter grave peccatum id facere prohiberentur*. Nec minùs certè damnabilis, qui etiam imponat in re graviſſima per imprudentiam in vita Zephirini; cum aſſerit admiſſos ab eo paſſim ad communionem, *quotquot viderentur verè dolere de peccatis*. Hanc enim gratiam ſapientiſſimus Pontifex contraxit ad ſolos mœchos, quibus ſolis indulſit veniam, non ſi apparerent pœnitentes; ſed ſi reipſâ defuncti eſſent pœnitentiâ Canonicâ. *Ego*; ait, *& mœchiæ & fornicationis delicta pœnitentiâ functis dimitto*. Hæc nos de illis ſcriptoribus candidè ex ingenio citra affectum. Viderit lector ſapiens, an dici de nobis poſſit in hac cenſurâ; *Mendaces filii hominum in ſtateris, ut decipiant ipſi de vanitate*. Abſit à nobis, hæc ſcripta fuerint afflatu vanitatis aut invidentiæ. Litandum cenſuimus Chriſtianæ ſimplicitati.

Hæc nos candidè, inquam, & ingenuè, non ex affectu vel aucupio vanitatis; non ex moroſitate ingenii vel ex auditu, ſed lectione omnium

& ſingulorum : & hæc, fateor, unica cauſa me impulit, ut auderem poſt tot inſignes & viros perilluſtres hanc hiſtoriam. Cum enim intelligerem hiſtoriam Pontificalem ſcriptam eo pacto à multis; deficere illos, hos redundare: præferre omnes hunc titulũ, nullũ impleſſe, viſi mihi ſcriptores illi, licet complures, eſſe idem, quod nullus. Inde rapta vel afflata mihi cupiditas, imò viſa mihi neceſſitas hujus operæ: nec parum cenſui meriturum me de Christiana republica; ſi facerem, tentem ſaltem, quod nemo adhuc: ſed *hoc opus*, *hic labor eſt*. Ut autem intelligat lector benevolus; an *rem*, ut vulgo dicitur, *acu tetigerim* & quantum diſtem à ſcopo, fit.

§. III. *Conſilium Auctoris.*

Cum ergo Pontificios inter hiſtoricos ſint, qui luxurient; ſint etiam qui deficiant; propoſitum noſtrum eſt cautiorẽ fieri alieno periculo; non ire ſcilicet, quò paſſim itur aut itum eſt ab his ſcriptoribus, ſed quò eundum; nec imitari eos qui nimis, neque eos

Digitized by Google

qui minùs; ſed memores moniti veteris, *medio tutiſſimus ibis*, amplificare brevitatem illorum, reſecare verò aliorum luxuriem. Cumque illi impegerint in extrema, arietaverit alius in Scyllam prolixitatis, alter in brevitatis Charybdim; hos inter ſcopulos conſtituti conati ſumus ſervare mediocritatem auream: tantoque religionis & ſapientiæ temperamento emetiri cœlum hiſtoriæ Pontificalis; ut cum alij in alterutram partem Planetarũ inſtar & Lunæ deflexerint hinc & inde in hoc Zodiaco; incubuimus maximè in hoc, nè declinaremus ad dexteram aut ſiniſtram, ſed inerraremus ſemper & ſemper intra Ecclypticam Solis inſtar; nihil ſcilicet in ea insereremus ſupervacaneum, nihil etiam neceſſarij delibaremus. An autem felicitatis hic cumulus labori noſtro obtigerit, expendendum relinquo ſapienti lectori; qui hauddubiè in hac hiſtoria, quod nos in alienis, deſiderabit complura: nec hoc negamus; ſcimus enim nos homines eſſe, & obrepere incogitantibus, quæ nos fugiant. Boni conſulet ſaltem, quod

Digitized by Google

ſervientes ejus palato & delitiis auriũ ſtuduerimus veſtire eam & amænare dictionis ornatu & venuſtate ſermonis. Dedimus maximè operam, nè hiulca eſſet & diſſoluta noſtra narratio; ideo alligavimus eam tranſitionibus tam tempeſtivis, ut quæ ſejuncta erant, videantur eſſe connexa & uno ſcriptionis ductu concinnare corpus hiſtoriæ.

Breviarium in margine.

Cum autem planè exploratum haberem mirum in modum brevitate duci lectores; prolixiores vitas duxi in compendium citra ullum tamen compendium, viſum hoc conſilio paucis verbis contrahere in margine & colligere per epitomen, quod multis continetur & quaſi luxuriat in paginarum contextu; ut nictu oculi legeretur ſimul ferme totum & nihil. Libuit inſuper vitas diſtinguere per interjectos paragraphos: ſic enim lectori datur veluti otium & ſpatium ducendæ animæ poſt lectionem; ſic deluditur blandè; eòque libentiùs legit & ineſcatur ſuaviùs ad legendum, quò videtur illi breve eſſe, quod eſt reipſâ prolixius: ſic inquam, conſu-

Diſtinctio in paragraphos.

Digitized by Google

imus intentioni lectoris; ut optimè ait B. Auguſtinus libro 1. *contra adverſ. Legis & Proph.* his verbis: *ſicut labor viatoris hoſpitio, ita libri termino reficitur lectoris intentio.* Nec excitatur tantùm illius ſtudium ſed renovatur, ut ſapienter monet Fulgentius *libro 3. ad Monimum*, cum inquit: *Lectoris renovat ſtudium temperies diſtincta librorum.*

Intexuimus, ubi opus, epiſtolas ſanctorum etiam longiores, ut uniones pulcherrimos; non ad ſplendorem & amænitatem dumtaxat, ſed ad pondus & voluptatem lectoris, qui ſic res haurire ſe opinatur in fonte, cum laudantur non modo authores ſed producuntur velut in medio rem enarrantes ut teſtes oculati: neque id paſſim, ſed interdum & quoties argumenti dignitas id expoſtulat. Sic ſumus imitati veteres Scriptores hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, Euſebium præſertim Cæſarienſem; qui non modo teſtimonia Juſtini, Irenæi Lugdunenſis, Clementis Alexandrini, Gaij, Egeſſippi & aliorum ſæpiſſime affert, ſed & longiores epiſtolas; eas maximè, quas Ec- *Citatæ epiſtolæ.*

cleſiis Ponti ſcripſit Eccleſia Smyrnenſis de Polycarpi martyrio; necnon & quas Eccleſiæ celeberrimæ Galliarum Lugdunenſis & Viennenſis miſere Eccleſiis Aſiæ & Phrygiæ de cruciatibus innumerabilium martyrum; affert & alias ſine numero, ut inde conciliaret authoritatem ſuæ hiſtoriæ. Imitati eum, qui poſt illum ſcripſere Annales, Beda imprimis; qui cum hiſtoriam Eccleſiaſticam Anglicanam ſcriptis mandaret, deeſſentque illi quædam epiſtolæ Gregorii Magni & aliorum Pontificum, quæ ſpectare videbantur ad complementum ſui operis, Nothelmum quemdam presbyterum Romam tranſmiſit: nec alio conſilio, quàm ut ejus nomine poſtularet eas à Gregorio II. inſerendas ſuis Annalibus: ratus ſcilicet non impleturum ſe numeros diligentis hiſtorici, ſi non insereret. *Nothelmus*, ait in epiſtola nuncupatorîa ad Ceolulphum Regem Anglorum, *Romam veniens nonnullas ibi B. Gregorii Papæ & aliorum Pontificum epiſtolas perſcrutato ejuſdem S. Romanæ Eccleſiæ ſcrinio permiſſu*

ejus, qui nunc ipſi Eccleſiæ praeſt, Gregorii Pontificis invenit, reverſuſque nobis noſtræ hiſtoriæ inſerendas cum conſilio Albini reverendiſſimi Patris attulit.

Quod ſpectat ad difficultates & controverſias circa numerum & ſucceſſionem Pontificum, voceſque obſoletas & Eccleſiaſticas, quæ unâ cum graviſſimis & intricatiſſimis nodis occurrunt paſſim in hac hiſtoria; viſum nobis & ſapientiorum conſilio in vitarum contextu temperare omnino ab hujuſmodi ſpinis, nè interpungentes lectorem & abrumpentes ductum hiſtoriæ lectionem illius facerent inamabilem & inſuavem omnino. Contenti ergo enuntiare candidè & ſine ullo fuco noſtram ſententiam in ſingulorum vitis Pontificum; ventilatas in academiis & laceratas eruditorum ſententiis quæſtiones amandamus in alios libros; in quibus prolixis diſſertationibus explicabimus, Deo dante, noſtram mentem circa perpetuum *Azymi uſum Eccleſiæ Romanæ in conficienda Euchariſtia, circa communionē Laicam & Peregrinam,*

Temperamus à controverſiis.

circa negatam abſolutionem etiam in fine vitæ, circa luctam calentiſſimam Stephani cum Cypriano, circa Marcellini lapſum & ſynodum Sinueſſanam, circa baptiſmum Conſtantini, Oecumenici titulum, Honorium & Canonizationem ſanctorum, aliaque id genus, quæ in his vitis occurrunt. Et quamvis ea nobis eſſent in votis, ſtaretque temperare religiosè ab ejuſmodi vepribus, quæ profligant ſuavitatem hiſtoriæ: excurrimus tamen quater in prima iſta parte; neque id viſum nobis dumtaxat ex decoro, ſed ex neceſſitate. Cum enim legerem à Scriptore novitio ſummæ eruditionis Natali Alexandro doctore flagellari atrociter & dirui à fundamentis; quæ de Marcellino, Silveſtro & Felice II. ſuo in Martyrologio, & Breviario ſentit S. Romana & univerſalis Eccleſia; idque proderem ego & narrarem de illis, quod Mater illa ſapientiſſima: vindicandæ noſtræ opinioni cenſuimus omnino neceſſarium poſt illorum trium Pontificum vitas ad earum calcem attexere ſtatim confutationem opinionis contrariæ:

Cumque monſtrum mihi videretur opinatio inſolens & temeraria Caramuëlis vaticinantis Petrum relictâ probabiliori ſententiâ ſecutum eſſe minùs probabilem ; non potui non illam perſtringere illico per tranſennam, ut ignominioſiſſimam S. Petro.

Præmonemus legiſſe nos, quotquot datâ operâ ſcripſere Pontificalem hiſtoriam, & ſi qui obiter eam libarunt; ut Bergomenſis, Coëfetæus, Perronius, Genebrardus, Marca, Bona & alii hujus ætatis Scriptores polymiti & polyiſtores : nec legimus ſolùm ſed & inſtar apis flores collegimus & confecimus noſtrum favum. Secuti eos ſumus ut duces, cum benè; diſceſſimus verò imo & & reprehendimus, quoties ceſpitant : nec parcitum hiſtoriæ Patri ſeu hiſtoriarũ Oceano Eminentiſſimo Cardinali Baronio ; qui licet nobis ſit in hac Sparta, quod Cypriano Tertullianus; ſummâque proſequamur veneratione ut Luminare maius Cœli hiſtorici : non adoramus tamen ejus maculas vel deliquia, ſi quas habeat. Cultores illius ſumus & nos fatemur,

Lectio auctorum.

ſed non mancipia; nec raró eum deſerimus, cum minùs bene, maximè in vita Damaſi in his, quæ ſpectant ad Gregorium Nazianzenum. Cumque vindicemus nobis in omnibus iſtam eligendi licentiam erga doctores, cujuſcumque notæ fuerint vel doctrinæ; repudiamus eam omnino *captivantes intellectum noſtrum in obſequium* Eccleſiæ, facti ejus mancipia & *tamquam jumentum* apud illam & erga illam, in ejus jurantes verba non modo in his, quæ ſunt de fide, ſed & quæ ſunt merè hiſtorica. Tam ſanctæ & oculatæ Matris profiteor me Echonem in his & aliis. Marcellini lapſum admittit ſuo in Breviario, admittit & ejus pœnitentiam in ſinodo Sinueſſanâ, admittimus & nos & docemus: agnoſcit Conſtantinum leprâ perfuſum & perfuſum ſimul aquâ baptiſmatis manu Silveſtri Papæ, prodimus & nos quoque: Felicem II. adſcribit ſuos inter martyres & Pontifices, adſcribimus & nos & propugnamus. Nec mirum: ea enim noſter eſt Polus & noſtra Cynoſura: nec diſertum

Authoritas S. Eccleſ.

modo illius teſtimonium, ſed & nutus pluris eſt nobis, quam legio doctorum & univerſus mundus. Diſcipulus cum ſim illius; credo & doceo idem, quod illa: ſôla ejus authoritas credendi mihi ratio una & tota; nec alia me impellit cauſa, ut ſic ſentiam & ſic doceam, niſi tritum & decantatum verbum, *Ipſa dixit*. Sentiant ergo per me eruditi, quidquid collibuerit, de iſtiuſmodi hiſtoriis; diſpungant & exſibilent eas atrociter, illarum vindex inſurgo: nec aliud mihi ſcutum aut validior parma elidendis adverſariorum telis & ictibus, quàm autoritas Eccleſiæ ſic credentis. Et tantæ autoritatis verticem nemo niſi temerarius neget; nemo elevet, niſi ſtolidus; nemo cum minore componat, niſi inſanus; nemo poſtponat teſtimonio hominis, niſi impius. Quæ cum eo pacto ſe habeant, quid ſentiendum ſit de doctoribus Orthodoxis; qui authoritati S. Romanæ Eccleſiæ imprudenter & impudenter anteponunt teſtimonium Scriptoris hæretici [cujuſmodi fuit Euſebius Cæſarienſis] æquo & ſapien-

ti lectori judicandum relinquo. Ego interim non poſſum non exclamare in homines tam malè feriatos tamque obtuſi & ſtupentis judicii; *Mendaces filii hominum in ſtateris.*

Excurſiones cur interdum? Excurrimus interdum & nos, non tamen intempeſtivè, ut credimus, nec paſſim; nec niſi, ut ſubindè inſeramus monita pietatis & quæ conducant ad bonos mores; ut decet Chriſtianum hiſtoricum, qui non tantùm debet ſol eſſe; ſed & ignis; id eſt non ſolùm debet illuſtrare lectoris animum, ſed urere ejus animam & inflammare. *Eſt enim vanum*, ut optimè ait S. Bernardus, *lucere tantùm; parum ardere tantùm; ardere & lucere perfectum.* Et hoc ſi non facimus, conamur ſaltem.

Serm. de nat. S. Ioan. Bapt.

Conſcii Moyſen primum orbis hiſtoricum præter nudam creationis rerum narrationem Chronologiam addidiſſe ſuæ hiſtoriæ & docuiſſe ſeorſim; quid Deus O. M. primâ die condiderit, quid ſecundâ, quid tertiâ & tribus reliquis: conſcij etiam ab ipſo limine deſignatam ſimiliter rationem temporis ab Iſaia, Prophetis,

Ratio Chronologiæ.

Evangeliſtis interdum, ipſiſque Apoſtolis ſuo in Simbolo; aſſerimus & nos illam; non in omnibus geſtis & ſingulis, ſed in capite tantùm & calce, nonnumquam etiam, ſi quid occurrat inſignius, ut Concilia, in vitarum contextu. In capite prænotamus, quo anno Chriſti Domini nec non & Imperatoris ſinguli *Admirandi* Pontificatum inierint: docemus & ad calcem, quamdiu illam geſſerint dignitatem, quove Chriſti anno obierint & quo die: nec id è noſtro martè & penu, ſed poſt ſapientiſſimum Annalium Conditorem, cujus in verba juramus in hoc articulo. Cum enim quot ſunt capita, tot ſint ſenſus in illo argumento; aliamque rationem Chronologiæ ineat Euſebius, alteram Anaſtaſius; aliam legerem in Platina, alteram in Onuphrio; propinaret hanc Genebrardus, iſtam Baronius: cum denique nec genius meus eſſet, non liberet ſcilicet aut vacaret explorare & *noſſe tempora vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate*; unum inter omnes & ſupra delegi mihi Baronium, qui in immi-

Digitized by Google

eatiſſimo hoc annorum, menſium & dierum labyrintho perſpicaciſſimus & accurratiſſimus præiret mihi, ut Ariadna. In his autem, ut in plerisque, illuſtriſſimi & conſummatiſſimi Scriptoris nihil aliud ego, quàm Echo: nec alia diſcrepantia, quàm quod ego colligam velut in faſciculum & recenſeam conſequenter & unâ ſerie, quæ ſparſim & multis ille ſuis Annalibus.

§. *IV. Fructus iſtius operis.*

Cum fructus iſte oriatur è lectione hiſtoricâ in univerſum; ut mirum in modum delectet animam & informet; præmaturamque prudentiam ſimul & præcocem ſenectutem adſpiret junioribus; hiſtoriæ *Admirandorum* ſive Pontificalis primus eſt fructus; ut prærogativâ ſingulari quantumvis una &, ut ita loquar, unorum, ſit reipſâ univerſalis & omnium. Cum enim Romanus Pontifex præſit non ſolum multis gentibus ut *Arphaxad*, aut centum viginti ſeptem provinciis dumtaxat ut *Aſſuerus*; ſed adumbre-

Primus fructus hiſtor. Pontif.

Digitized by Google

tur arbore Nabuchodonoſoris, quæ aſſurgens uſque ad cœlum ſuos longè latèque diffundebat ramos per totum orbem; Cum Romanus, inquam, Pontifex ſit *Univerſalis ſeu Oecumenicus Paſtor* & in omni ſenſu *Catholicus*, quantùm ſcilicet ad doctrinam & quantùm ad juriſdictionem ſeu plenitudinem poteſtatis; ejuſque Sedis privilegium ſit, ut unitatis Eccleſiæ centrum ſit orbiſque univerſi; ad illam ideo, ut lineæ omnes ad centrum, convertunt ſe & qui à Septentrione & qui à Meridie, & qui *ab Oriente & qui ab Occidente & qui à deſertis montibus. Ad hanc enim Eccleſiam*, Romanam ait l. 3. adverſus hæreſes c. 3. Irenæus, *propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt, eos qui ſunt undique Fideles.* Idipſum adſtruit Innocentius I. cum reſcribens Patribus Synodi Carthaginenſis epiſtola 91. inter Auguſtinianas: *Antiquæ*, inquit, *traditionis exempla ſervantes & Eccleſiaſticæ memores diſciplinæ veſtræ religionis vigorem non minùs nunc in conſulen-*

Digitized by Google

do, quàm antea cum pronuntiaretis, verâ ratione firmatis, qui ad noſtrum referendum approbaſtis eſſe judicium: ſcientes quid Apoſtolicæ Sedi [cum omnes hoc loco poſiti ipſum ſequi deſideremus Apoſtolum] debeatur, à quo ipſe Epiſcopatus & tota authoritas nominis hujus emerſit; quem ſequentes tam mala jam damnare novimus; quàm probare laudanda: vel id verò quod Patrum inſtituta ſacerdotali cuſtodientes officio non cenſetis eſſe calcanda; quod illi non humanâ ſed divinâ decrevere ſententiâ: ut quidquid diſiunctis remotiſque provinciis ageretur; non priùs ducerent finiendum, niſi ad hujus Sedis notitiam perveniret: ubi totâ hujus authoritate, juſta quæ fuerit pronuntiatio, firmaretur; indeque ſumerent cæteræ Eccleſiæ [velut de natali ſuo fonte aquæ cunctæ profluerent & per diverſas totius mundi regiones puri capitis incorruptæ maneret] quid præcipere, quos abluere, quos velut in cœnò inemundabili ſordidatos mundis digna corporibus unda vitaret.
Cum ergo omnis Eccleſia, *quæ ſub*

Digitized by Google

cœlo eſt, ſi ſit de corpore Domini, ex neceſſitate olim adierit & nunc Sedem adeat Apoſtolicam vel rogando, vel honorando, vel admonendo, vel referendo, vel conſulendo; ſi quis intricatior nodus emerſerit, ſi quid oriatur inſolentius & exorbitans in moribus aut diſciplinâ; ſi quid novi ventiletur in Academiis; ſi quis liber corruptior; ſi quis doctor, aut veriùs ſomniator, ſuis monſtris Chriſtianam Ethicem dilapidaverit; ſi quæ inſtituatur Metropolis; ſi ſedes Epiſcopalis inſtauretur aut transferatur; ſi quis donandus Apotheoſi & adſcribendus albo ſanctorum; ſi quæ Concionatorum Colonia, id eſt novi *operarii mittendi ſint in Domini vineam*, in regna exotica & tranſmarinas provincias: ſi quæ convocanda ſit Synodus; ſi adverſus Turcas & Saladinum colligendæ ſint copiæ: inde accidit, & ob illos nexus multiplices, quibus alligatur & reſpondet toti orbi Romanus Pontifex; ut hiſtoria *Admirandorum* ſive Paparum ſingulari prærogativâ ſit citra miraculum particularis ſimul & univerſa-

Digitized by Google

lis, ſit unorum ſimul & omnium. Quæ cum eo pacto ſe habeant, viderit ſapiens lector; an ſuo modo ſenſu tamen contrario jactari poſſit de noſtra hiſtoria, quod Juvenalis de ſuis Satyris.

Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,
Gaudia, diſcurſus noſtri eſt farrago libelli.

Et hic eſt primus fructus hujus hiſtoriæ, ut ejus lectione addiſcatur hiſtoria totius mundi ſive univerſalis, quantùm ad geſta ſaltem inſigniora & digniora ſcitu. Eſt & alius iſto priori longè illuſtrior, ita etiam proprius huic hiſtoriæ, ut non competat alteri: quod ſcilicet cathena hæc nobiliſſima ſive perennis illa Romanorum Pontificum ſibi ad noſtram uſque ætatem jugiter ſuccedentium ſeries ſit authenticum & peremptorium argumentum continuatæ & tranſmiſſæ ad nos uſque veritatis Eccleſiæ. Ea enim ſucceſſio ſeu propagatio Epiſcopatus à primâ Apoſtolorum origine nullo unquam tempore interrupta nota eſt ſplendidiſſima & conditio eſſentialis

Secundus fructus hiſtor. Pont. Rom.

Digitized by Google

ſeu una ex dotibus ſive lineamentis veræ Eccleſiæ, ut libro de *Unitate Eccleſia* Cyprianus docet. Ideo & ſi quando propugnandæ veritatis ſtudio confligebant olim Doctores cum coævis hæreticis; varia inter argumenta, quæ affatim ſuppetebant illis ad manum: in hoc unum incubuere omnes quaſi ex condicto; ut factâ enumeratione eorum, qui continuâ & non interruptâ ſucceſſione eamdem obtinuerant ſedem, demonſtrarent ad oculum eamdem ipſam ea in Eccleſia vigere eo tempore traditionem, diſciplinam & fidem; quæ ab origine ſeu ab ovo & ab Apoſtolorum ævo floruerat. Uſi hoc argumento tanquam certiſſimo & palmari SS. Patres tam Latini quàm Græci eo tempore, quo Eccleſia erat adhuc in cunis: cumque in Romana urbe venerarentur Cathedram Principalem; idcirco & afflati Spiritu illi doctores texuere omnes ſyllabum Romanorum Pontificum vel breviorem vel prolixiorem pro ratione ſæculi, quo vixere. *Maximæ*, ait Irenæus l. 3. adverſus hæreſes c. 3. *& antiquiſſimæ & omni-*

bus cognitæ à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & conſtitutæ Eccleſiæ fidem per ſucceſſiones Epiſcoporum pervenientem uſque ad nos indicantes confundimus eos: qui quoquo modo vel per philautiam malam vel vanam gloriam vel cæcitatem vel pravam ſententiam aliud, quàm oporteat, colligunt. Ad hanc enim Eccleſiam propter potentiorem principalitatem, non potentialitatem, ut aliqui perperam, *neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt, eos qui ſunt undique Fideles, in qua ſemper ab his, qui ſunt undique, conſervata eſt ea, quæ ab Apoſtolis eſt Traditio. Fundantes igitur & inſtruentes B. Apoſtoli Eccleſiam Lino Epiſcopatum adminiſtrandæ Eccleſiæ tradiderunt. Hujus Lini Paulus in his, quæ ſunt ad Timotheum, epiſtolis meminit. Succedit autem ei Anacletus*, nempe Cletus: *poſt eum tertio loco ab Apoſtolis Epiſcopatum ſortitur Clemens, qui & vidit Apoſtolos & contulit cum eis; cum adhuc intonantem prædicationem Apoſtolorum & traditio-*

nem ante oculos haberet ; & proſequens uſque ad Eleutherium ; *ſub cujus*, ait, *ordinatione & ſucceſſione veritatis traditio & prædicatio pervenit uſque ad nos.* Eodem telo confodit ſui ævi hæreticos Tertullianus l. de Præſcriptionibus c. 32. *Cæterum*, inquit, *ſi quæ hæreſes audent ſe interſerere ætati Apoſtolicæ ; ut ideo videantur ab Apoſtolis traditæ, quia ſub Apoſtolis fuerunt, poſſumus dicere: Edant ergo origines Eccleſiarum ſuarum, evolvant ordinem Epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſſionem ab initio decurrentem ; ut primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis vel Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeveraverint, habuerit autorem & anteceſſorem. Hoc enim modo Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt ; ſicut Smyrnæorum Eccleſia habens Polycarpum ab Joanne collocatum refert; ſicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum edit ; proinde utique & cæteræ exhibent, quos ab Apoſtolis in Epiſcopatum conſtitutos Apoſtolici ſeminis traduces habeant. Confingant*

Digitized by Google

tale aliquid hæretici. Libro tertio adverſus Marcionem Carminum eamdem ſucceſſionem exequens ad uſque Anicetum eodem argumento jugulat hunc hæreſiarcham, cum capite nono propitiis parum muſis rudit magis, quàm canit idem Doctor.

Hac cathedrâ, Petrus quâ ſiderat ipſe, locatum
Maxima Roma Linum primum conſidere juſſit,
Poſt quem Cletus & ipſe gregem ſuſcepit ovilis,
Quem ſequitur Clemens, is Apoſtolicus bene notus
Hujus Anacletus ſucceſſor ſorte locatus
Evariſtus ab hoc rexit ſine crimine ſedem,
Sextus Alexander Sixto commendat ovile,
Poſt expleta ſui qui luſtri tempora tradit
Telephoro.

Nonnullis interpoſitis in laudem & honorem Teleſphori addit continuò.

. . . . *Cujus ſucceſſor & ipſe*
Jamque

Jamque loco decimo cathedram ſuſcepit Hyginus
Poſt hunc deinde Pius, Hermas cui germine frater
Angelicus Paſtor, quia tradita verba locutus.
Aque Pio ſuſcepit Anicetus ordine ſortem.

Illorum inſiſtens veſtigiis S. Optatus Milevitanus fulminans adverſũ Donatiſtas libro 2. contra Parmenianum texit ſimiliter ſyllabum Pontificum Romanorum à S. Petro aduſque Damaſum, quo tantùm non provecto deſiit eſſe in vivis. *Cathedra ergo*, inquit, *unica, quæ eſt prima de dotibus: ſedit prior Petrus, cui ſucceſſit Linus, Lino ſucceſſit Clemens, Clementi Anacletus*: & conſequenter ad *Siricium* uſque: poſt quem converſus ad Donatiſtas per modum inſultantis: *Vos*, infit, *veſtræ Cathedræ originem reddite; qui vobis vultis S. Eccleſiam vendicare.* Concors illi Auguſtinus hos verſus in Eccleſia cantari voluit contra eoſdem Schiſmaticos.

Numerate Sacerdotes
Vel ab ipſa Petri Sede

Digitized by Google

In Pſal. contra partem Donatiſtar.

Et in ordine iſto Patrum
Quis cui ſucceſſit, videte.
Ipſa eſt Petra, quam non vincunt
Superbæ inferorum portæ.

Eamdem Paparum ſe conſequentium ſeriem commendat idem beatus Doctor compluribus locis; ut epiſtolâ 165. in qua ordinem illum Epiſcoporum à S. Petro exequitur *ad Anaſtaſium, qui tunc tenebat Cathedram*; idem quoque delibat libro quæſtionum Veteris & Novi Teſtamẽti c. 110. nec non & Tractatu de utilitate credendi ad Honoratum c. 17. Nuſpiam tamen explicat tam luculenter, quàm contra epiſtolam Manichæi fundament. c. 4. quanti ponderis apud illum eſſet iſta ſucceſſio Rom. Pontificum ſe excipientium & quantæ authoritatis; ut inter hæreſum turbines & tempeſtates ſchiſmatum inconcuſſus & mordicus perſeveraret in Eccleſiæ ſinu: *Multa ſunt*, inquit, *alia, quæ in ejus gremio me juſtiſſimè teneant*: ſubjungens paulò poſt quo præſertim vinculo detineretur fermè volens & nolens: *Tenet*, ait, *ab ipſa*

Sede Apoſtoli Petri [*cui paſcendas oves ſuas poſt reſurrectionem Dominus commendavit*] *uſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum*. Et hanc nos exequimur in hac *Admirandorum* hiſtoria ; cujus in contextu perſonas omnium & ſingulorum ; qui rexere Dei Eccleſiam à S. Petro ad Innocentium XI. nunc ſedentem producimus velut in ſcena : commemoramus ſcilicet geſta, ſtatuta , mores & dies adminiſtrationis illorum bonos & malos ; ſed eo temperamento , ut Paparum facta aurea & quod in iis fuit laudabile , ſimus enarraturi perſpicuè citra nubes & ambages verborum : ſordes verò & lutulenta flagitia , quæ ſpirant carnem & ſanguinem , vix attendemus , vix ſaltem nominabimus nec niſi ſubobſcurè ex præcepto ſaltem Apoſtoli : *Nec nominetur in vobis , ſicut decet ſanctos.* Deſignabimus tantùm & adumbrabimus in ænigmate : ſic tecturi magis ea , quàm detecturi ; memores maximè pios filios & feliciſsimæ indolis *Sem & Japhet* velaſſe reverenter & averſis

Digitized by Google

oculis, quæ ad ignominiam & præter decorum nuda erant in patre: memores, inquam, allegorico ſenſu imperatum à Deo parcere tam magnis & reverendis perſonis, cum Levitici 18. verſu 7. dedit iſtud mandatum excellentiſsimum: *Turpitudinem patris tui ...... non diſcooperies.*

In ea autem & ſolâ, ut id obiter annotem, ſerie Romanorum Pontificum, quam hic proſequimur; reperitur quantùm ad omnes numeros & conditiones neceſſariò requiſitas vera & perfecta ſucceſsio: nec ſolùm ſacramentalis quantùm ad characterem & ordinem materialem perſonarum ſe ſe alternis excipientium [ut contingebat olim in ſacerdotibus Jeroboam & hodie fit in Anglia] ſed etiam quantùm ad autoritatem; quòd iiſdem conditionibus inſtructa ſit ea ſucceſſio, eodem ſcilicet inſtituta ſit rituum apparatu; quo deceſſores Pontifices inaugurati ſunt. Reperitur præterea in eâdem & ſolâ Romanorum Pontificum ſerie vera & germana doctrinæ ſucceſsio, quæ nihil aliud eſt; quàm tranſmiſsio & pro-

In ſolis Papis vera ſucceſſio

Digitized by Google

pagatio eorundem dogmatum, ſive cathena ſplendida citra intermiſsionem continuata docentium & diſcentium, ſeu tradentium eamdem doctrinam & excipientium illam. Inter hæreticos verò ſibi ab invicem ſuccedentes ſola invenitur ſimilitudo doctrinæ; quòd in ea ſint omnino conformes. Hodierni enim Poloniæ & Tranſilvaniæ Ariani cum ſentiant & delirent hoc ævo, quod Patriarchæ illorum tempore Nicæni Concilii, habent cum iis doctrinæ ſimilitudinem, neutiquam ſucceſsionem; eò quòd illorum dogmata non ſint perpetua & citra interruptionem tranſmiſſa & quaſi per manus illis tradita per Apoſtolos aut viros Apoſtolicos. Sic ignis ſurſum delapſus cum illo, qui ad incendenda Moyſis ſacrificia è cœlo primùm deſiluerat. erat quidem unus & idem unitate ſimilitudinis, quia ureret, non verò unitate ſucceſsionis; quæ competebat huic tantùm, qui in altari templi Jeroſolymitani conflagratione non interruptâ ardebat ſemper & ſemper ad conſumenda ſacrificia, quæ fiebant. De

utraque illa ſucceſsione doctè & ſolidè, ut ſolet, Cardinalis Perronius libro primo Reſponſionis ad Regem M. Britanniæ. c. 75. & 76.

Poſſemus, ſi allubeſceret, complures vitas ſubnectere & magno numero: viſum tamen hîc claudere primum hunc fœtum; nè ſi excreſceret in molem, non poſſet eſſe Comes, Enchiridion, imò & Doctor fortè & Oblectatio deambulantium: tum quia cenſemus ſatis ſuperque ad deguſtamentum eſſe has Pontificum vitas; ſi quis ex ſapientioribus ſucciſivis horis dignetur eas legere animi gratiâ. Cum autem ſit nationum omnium iſta hiſtoria, utpote Pontificum Romanorum, qui Antiſtites ſunt Univerſalis Eccleſiæ toto orbe diffuſæ: non intempeſtivè nonnullis immutatis conſignem libellum iſtum ſapientiſſimâ clauſulâ Venerabilis Bedæ; qui ſuâ ad Ceolvulphum Nordanhumbrorum Regem epiſtolâ nuncupatoriâ, quam præfixit in limine hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Gentis Anglorum, lectorem ſuum his verbis piè interpellat ad calcem: *Omnes ad quos hæc*

Hinc Alexandro ſucceſſit in ordine Sixtus,
Hos juxta poſitus Teleſphorus eſt & Hyginus,
Additur Anicetus ſeu præſul nomine Pius,
Soter & Eleuther, quibus eſt Victor quoque mixtus,
Quos Zephyrinus habet comites, martyrque Caliſtus.
Urbanus Chriſti turbæ prælatus in Urbe.
*Poſt hos Papatus ſuccedis * Marce locatus.*
Hinc Pontianus, hinc Anterus, hinc Fabianus,
Cornelius, Lucius, Stephanus, Sixtuſque ſecundus.
Hos rutilans juxta Dyoniſi ſede venuſtâ,
Felix Romanus, cui jungitur Eutychianus.
His comites Caius ſeu Marcellinus habentur,
Marcellus nec non Euſebius enumerentur.
Miltiades etiam, poſt quem Silveſter haberi.

* *Ig... tus a... bic I... ſa.*

õ v

Te Dominus Papam decrevit in ordine cleri.
Marcus cui Julius ſuccedit, Liberiuſque,
Felix & Damaſus cleri ſpeculumque decuſque,
Exule Liberio Felix in ſede locatur,
Martyriumque ſubit, cum Liberius revocatur:
Quare Liberii Damaſus ſucceſſor habetur.
Sicut Hieronymi Chronicâ narrante docetur.
Poſtea Siricium numeramus Anaſtaſiumque:
Hinc Innocenti te, qui comitaris utrumque.
Poſt Soſimum verò Bonifacius enumeretur.
Hinc Cæleſtinus cum Sixto conſocietur.
Hos autem juxta Leo vir doctiſſimus extat,
Eloquium cujus quantum fuerit manifeſtat.
Hilarus hunc & Simplicius Felixque ſequuntur;

Poſt quos Pelagius Anaſtaſiuſque leguntur,
Symmachus, Hormiſdas rutilant præſulque Joannes;
Agapitum cum Silverio, tecumque Vigili
Pelagium legimus Papali ſede potiri.
Hos meriti magni Papæ præmitto Joanni;
Papam poſt iſtum tunc enumero Benedictum.
Pelagium Romæ prælatum poſteâ prome.
Hinc tu Gregori confortans cuncta decori
Eccleſiæ Chriſti ſal atque lucerna fuiſti.
Poſt te Bleranum civem lego Sabinianum;
Hinc Bonifacius & Bonifacius annumerentur,
Deuſdedit & quintus Bonifacius his ſocientur.
Honorium cum Severino, teque Joannes
Inter prædictos cæleſtes ſcribimus omnes.

Poſt hos Theodorum & Martinum conſociemus.
De quo, quod fuerit per Græcos paſſus, habemus.
Additur Eugenius, præſul quoque Vitalianus.
Adeodatum cum Domno ſuſcipiamus,
Scribitur hinc Agatho Siculæ regionis alumnus,
Et copulatus ei prudens Leo Papa ſecundus.
His adjungantur Benedictus atque Joannes,
Et Conon tecum Sergi ſextuſque Joannes,
Hinc alio Papâ gaviſâ eſt Roma Joanne.
Et te Siſinni genite genitore Joannes,
Poſt Conſtantinum Gregorius alter habetur,
Tertius his etiam Gregorius aſſocietur:
Cui Zacharias, Stephanus Pauluſque decenter
Hic Conſtantinus, Stephanus quoque connumeretur;

Poſt Adrianum Leo tertius eſſe videtur;
Poſt Stephanum quartum Paſchalis præſul habetur.
Eugenius verò Papa ſubſcribitur iſtis
Illi ſucceſſor tu Valentine fuiſti.
Gregorius quartus & Sergius & Leo quartus,
Pontificem dictum poſt quos legimus Benedictum.
Hinc Nicolaë tuo gaudet tua Roma decore,
Cujus Adrianus poſt mortem fulſit honore.
Octavi viguit poſt hos doctrina Joannis,
A quo Marinus perpaucis præfuit annis,
Præſtans præſulibus ſubnectitur his Adrianus;
Poſtea Formoſum legimus Cathedram tenuiſſe,
Inde Bonifacium Papatum promeruiſſe.
Poſt Stephanum ſextum Romanum perlege tandem;

Et poſt Theodorum nonum ſubnecte Joannem,
Cui Benedicte pater Leo tecum connumeretur.
De titulo Damaſi Chriſtophorus aſſocietur,
Sergius hinc rutilans Anaſtaſio copulatur,
Et Lando vivens modicè ſuper aſtra levatur.
Omnibus his tandem decimum conjunge Joannem.
Te Leo, cum Stephano præcedit Papa Joannes,
Cui Leo, poſt Stephanus ſuccedunt dogmate grandes.
Nec non Marinus & Agapitus atque Joannes,
Præſulibus quintus conjungitur his Benedictus,
Cui Leo jungatur, Joannes & Benedictus
Et decimum quartum poſt iſtos ſcribe Joannem
Et quintum decimum poſt iſtos ſcribe Joannem
Et decimum ſextum poſt iſtos ſcribe Joannem

Gregorium quintum priùs & poſt
ſcribe Joannem
Poſt quem Silveſtrum priùs & poſt
ſcribe Joannem.
Huic etiam nonum decimum ſubſcribe
Joannem,
Sergius hinc quartus, ſubnectitur &
Benedictus,
Reſtat viceſimus Joannes & Bene-
dictus
Hunc nonum decimum depromunt
ſcripta Joannem;
Quod cur evenerit, dabit hoc ag-
noſcere carmen:
Quemdam Joannem ſi Mercurium
vocitamus,
Juſtum viceſimum, nonum decimum
numeramus.
Silveſter cum Gregorio Clemenſque
ſecundus,
Cum Damaſo rutilatque Leo Victor-
que ſecundus,
Huic Stephanus nonus, necnon de-
cimus Benedictus:
Et ſuccedit eis Nicolaüs in ordine
mixtus,
Alter Alexander & Gregorius co-
pulatur.

Digitized by Google

Victor & Urbanus cum Paſchali comitatur.
Gelaſium mundo conceſſit poſtea Chriſtus,
Cui decedenti ſucceſſit Papa Caliſtus.
Honorius Cathedram poſt omnes hos decoravit,
Hinc Innocenti Papam te Roma vocavit;
Poſt Cæleſtinus cæleſti dogmate functus,
Chriſmate lætitiæ fit præ conſortibus unctus.
Lucius hinc mundi cupiens obſiſtere morbis
Eſt raptus ſtatim, quia dignus non erat orbis.
Tertius Eugenius, qui nunc præclarus habetur,
Donec vult, vivat; demum ſuper aſtra tenetur.
Sunt centum quinque nec non & ſeptuaginta,
Quartus Anaſtaſius poſt Eccleſiam viduavit,
Quam ſibi mox copulans Adrianus clarificavit.

hiſtoria pervenire poterit ..... legentes ſive docentes ſuppliciter deprecor; ut pro meis infirmitatibus mentis & corporis apud ſupernam Clementiam ſæpiùs intervenire meminerint: & in ſuis quique provinciis hanc mihi ſuæ remunerationis vicem rependant; ut qui de ſingulis provinciis.... quæ memoratu digna atque incolis grata crediderim, diligenter annotare curavi, apud omnes fructum piæ interceſſionis inveniam. Soli Deo honor & gloria. Hæc & quæcumque alia è noſtro ſtylo prodierint, S. Romanæ Eccleſiæ ſubmiſſa ſunto; & ſanctiſsimo ejus Hierarchæ Moderatorique ſapientiſsimo Innocentio Undecimo, quem Deus ſuæ ſervet Eccleſiæ IN LONGOS ANNOS.

Digitized by Google

CATALOGUS

ADMIRANDORUM à S. Petro ad Alexandrum III. ſcriptus metricè à Nicolao Maniacutio Canonico Regulari Lateranenſi & ab Onuphrio editus poſt vitam ejuſdem Alexandri.

SI vis Pontifices Romanæ noſcere ſedis,
Carminibus noſtris perlectis ſcire valebis.
Primò Papatus Petrus eſt in ſede locatus,
Qui conſederunt, Linus Cletuſque fuerunt.
His Clemens junctus ſimili fuit ordine functus,
Hunc nutat mundus, ſit quartus, ſit ne ſecundus.
Hinc Anacletus præſedit & hinc Evariſtus

Digitized by Google

Hinc licet inviɛtum Papali ſede potitum
Scimus Alexandrum per ſæcula commemorandum
Sunt omnes centum, ſunt octo & ſeptuaginta.

Hæc Maniacutius craſſâ & pingui minervâ omninò : qui hallucinatus turpiſſimè, quod plures quàm ullus Scriptor enumeret Pontifices in hoc albo.

Digitized by Google

FACULTAS REVERENDI admodum Patris Generalis.

CAROLUS GAUTHEROT Præpoſitus Generalis Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ Librum, cui titulus eſt *Admirandorum Hiſtoria, ſive Paparum vitæ à R. Patre Jacobo Goudour præfatæ noſtræ Congregationis Sacerdote Theologo compoſitum*, à duobus noſtris Theologiæ Profeſſoribus Collegii Toloſani de mandato noſtro recenſitum & approbatum, ſervatis ſervandis, in lucem edi concedimus. Datum Pariſiis in domo noſtra Sancti Caroli, die decimâ menſis Septembris, anno Domini milleſimo ſexcenteſimo octogeſimo primo.

CAROLUS GAUTHEROT Præpoſitus Generalis.

De mandato Reverendi Admodum Patris Noſtri.

A. VERNHES Secretarius Generalis.

Digitized by Google

Approbatio Doctorum.

HISTORICUM hoc opus, *Admirandorum*, id eſt ſupremorum Pontificum Vitas legiſſe me cum exultantis conſcientiæ ſenſu & animi guſtu profiteor. Adnotavi, quantùm potui attentus lector & admirator ex ingenio, ex ſtilo, ex argumento, ex luce, ex fide digniſſimum opus, quod ſit Vaticanæ & cujuſcumque bibliothecæ litterariæ Auctarium & pars non minima inter Hiſtorico-ſacros codices. Quod Romæ & Galliæ placiturum opus prævideo, placet mihi & ante probatur, ut eat in lucem publicam & omnium manus. Ut Author hiſtoricè ſcripſit omnia: ſic ego hiſtoricè approbo omnia, id eſt verè.

GABRIEL GUYA Doct. Chriſtianæ.

EGO infra-ſcriptus Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ Theologiæ Profeſſor Librum, cui titulus eſt *Hiſtoria Admirandorum*, *à R. P. J. Goudour Congreg. noſtræ compoſitum* perlegiſſe, in eoque nihil me deprehendiſſe teſtor à Cathedra Petri alienum, fidei Catholicæ contrarium, aut Chriſtianæ morum diſciplinæ diſſonum, nihilque quod non ſapiat cultioris litteraturæ virum, politioris ingenii calamum, & Authorem in rebus Eccleſiaſticis eruditè verſatum. Datum Toloſæ die primâ menſis Junii anni 1682.

ANNAT Theologiæ Profeſſor.

Digitized by Google

LEGI & perlegi ſingulari animi voluptate *Admirandorum Hiſtoriã*, hoc eſt *Paparum Vitas*; quas à S. Petro ad uſque miraculum noſtri ſæculi Innocentium XI. parat luci publicæ R. P. J. Goudour noſtræ Congregationis Theologus. Iſto opere ſcribit author floridus nova & novè: novè, quod res prodat non jejunè & impolitè, ut reliqui; ſed ſtylo feliciſſimo, dilucido, eleganti & fuſo: nova, quod doceat è monumentis authenticis, quæ nemo adhuc eorum, qui decurrerunt hoc ſtadium. Erravit hoc conſilio per monumenta veterum, ut apis argumentoſa ſolet per prata; & ſolerti manu ex iis contexuit ſuam hiſtoriam, velut ſertum pulcherrimum. In ea multa paucis; nec excurrit, niſi cum opus & vindicandæ dumtaxat veritati: & hanc cum hauſerit paſſim ex Scriptoribus omnis notæ; maximè à Breviario Romano, à quo religioni duxit vel latum unguem diſcedere in his, quæ inter Doctores diſceptantur hoc ævo; cum veritas hiſtorica luceat ibi, vel nullibi. Mitto reliqua, nè quid indulgeam veteri amicitiæ, quæ me piè dudum conglutinat cum Authore. Satis ſit affirmare legenti nihil occurriſſe vel fidei contrarium vel bonis moribus adverſum: ſed omnia mihi viſa conſona orthodoxæ fidei & publicâ luce digniſſima multùmque ſtudioſis hiſtoriæ Eccleſiaſticæ profutura. Toloſæ die vigeſimâ Junii an. 1662.

ARNALDUS MILHET Congreg. Doct. Chriſt. Doctor Theologus.

Digitized by Google

B-B-2

HANC *Admirandorum Hiſtoriam* accuratè perlegi ; in qua cum ejus Author R. P. Goudour Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ Theologus nil prodat niſi ex fide veterum monumentorum, nihil etiam propinat ; quod bonis moribus repugnet aut orthodoxæ fidei. Cujus ego in teſtimonium cenſui Librum hunc typis ſemper victuris digniſſimum. Toloſæ die decimâ menſis Julii anno 1682.

F. ARNALDUS SOUQUES Doctor Regens Collegii Sancti Bernardi.

VISO Theologorum examine impreſſionem permittimus. Toloſæ die 11. menſis Julii 1682.

LAFONT Vicarius Generalis.

Digitized by Google

INDEX VITARUM.

CHRISTUS DOMINUS, pag. 1
S. Petrus Proto-Papa. pag. 26
S. Linus. 76
Digreſſio adverſus Caramuelem. 81
S. Cletus. 93
S. Clemens. 96
S. Anacletus. 107
S. Evariſtus. 110
S. Alexander. 112
S. Sixtus. 116
S. Teleſphorus. 119
S. Hyginus. 121
S. Pius. 123
S. Anicetus. 127
S. Soter. 131
S. Eleutherius. 136
S. Victor. 139
S. Zephyrinus. 147
S. Calliſtus. 154

Digitized by Google

INDEX VITARUM.

S. Urbanus. 157
S. Pontianus. 161
S. Anterus. 163
S. Fabianus. 166
S. Cornelius. 173
S. Lucius. 200
S. Stephanus. 206
S. Sixtus I I. 231
S. Dionyſius. 237
S. Felix. 243
S. Eutychianus. 245
S. Caius. 247
S. Marcellinus. 257
§. III. *Objectiones adverſus noſtram narrationem & earum ſolutio.* 265
§. IV. *Quanti faciendum ſit teſtimonium Rom. Pontificis de aliqua re controverſa.* 269
§. V. *Quanta Rom. Breviarii ſit authoritas circa vitas Sanctorum.* 273
S. Marcellus. 283
S. Euſebius. 290
S. Melchiades. 293
S. Silveſter. 305
§. VI. *Baptiſmus Conſtantini à Silveſtro admiſſus ab Eccleſia.* 321

Digitized by Google

§. VIII. *Quantum præponderet S. Eccleſiæ teſtimonium Euſebii teſtimonio.* 326
S. Marcus. 330
S. Julius. 334
S. Liberius. 365
S. Felix II. 416
§. II. *Vindicatus Pontificatus Felicis.* 424

ERRATA.

Pagina 81. *linea* 1. Adverſus digreſſio. *lege* Digreſſio adverſus. *Pag.* 126. *linea* 7. Corinthum. *lege* Cerinthum. *Pagina* 171 *lin.* 24. parte. *lege* patre. *Pagina* 190. *linea* 7. poſt *Deum*, deeſt *unum*. *Pagina* 193. *linea* 21. poſt *abſtentis*, deeſt *qui*.

Occurrunt interdum ſparſim & aliæ erratorum minutiæ; has viſum prætermittere, quia cum nec obſcurent ſenſum nec mutent ſintque propemodum in literulis inverſis aut tranſpoſitis aut mutatis, emendare ea non haud facilè poterit Lector mediocriter eruditus.

ADMIRAN-

Digitized by Google

ADMIRANDORUM HISTORIA HOC EST PAPARVM VITÆ.

Paulò accuratiores, quam quæ hactenus prodierunt.

Excerptæ ex illorum literis, ſacris Conciliis & Scriptoribus Sacro-prophanis.

CHRISTUS DOMINUS.

AUSPICATURI fauſto omine vel conſecraturi noſtram, qualiſcumque ſit, operam in hujus Hiſtoriæ capite præfigimus ante omnes compendium VITÆ CHRISTI; qui ca-

Digitized by Google

Ideſt Papa. pite nono appellatur * *Admirabilis* ab Iſaïa. Hanc prærogativam ordinis exigit, qui ſe dignatus eſt vocare *Apocal. 1. 8.* *Principium & Alpha*; qui & clamat ore prophetico, *in capite libri ſcriptum eſt de me.* *Pſ. 39.* Cumque ex Apoſtolo ſit *primogenitus in multis fratribus*, *Rom. 8. 29.* non æſtimamus gratis nec appellamus temere primogenitum in multis Pontificibus; qui & ita eſt *Paſtor & Epiſcopus animarum noſtrarum*; *1. Petr. 2. 25.* ut non modo primus ſit & primogenitus in hoc albo ſed & ſolus & præ illo ſit nullus. Grandes illi & venerandi Capitis & Pontificis tituli non competunt Chriſto, quâ Deus eſt, ſed quâ homo. Quâ enim Deus, nec Caput eſt, cum ſit filius; nec fratres habet, cum ſit unigenitus: nec Sacerdos eſt neque Pontifex; imo ſicut Patri æterno, *in omni loco ſacrificatur & offertur nomini ejus oblatio munda.* *Malac. 2.* Verùm quâ homo eſt, *& caput eſt corporis Eccleſiæ*; *Coloſſ. 1. 18.* & fratres habet & dignatus vocare ſuos diſcipulos, cum Magdalenæ juſſit, *vade ad fratres meos*: *Ioan. 20. 17.* & Pontifex eſt dicente Apoſtolo, *talis decebat, ut nobis eſſet* *Hebr. 7. 26.*

Pontifex. Eſt & demum Sacerdos juxta oraculum, *Tu es Sacerdos in æternum.* In æternum quidem, non ab æterno, neque à mundo condito Pontifex & Sacerdos; ſed poſt evolutas à cunis mundi ſæculorum decades plures vel pauciores quatuor. Teſtis Apoſtolus ſcribens, *ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum factum ex muliere.*

Pſ. 109.

Galat. 4. 4.

§. I.

Feliciſſima illa mulier non alia eſt, quam quæ *benedicta in mulieribus* ſæculorũ omnium votum erat & opus illibata Maria: quæ ut Dei mater illæſâ virginitate fieret, ſortita ſponſum Spiritum S. A fœcundante ſimul & virginante eam illius umbrâ virgo ſimul & mater poſt ſtupendi uteri novem menſes ſolo obſtetricante cœlo Chriſtum effudit eâ munditie, quâ conceperat, illimi & intacto ſinu veluti ſolem aurora. Cunæ geniti pauperes, culcitra palea, lectus præſepe, domus puerperæ Bethlehem, thalamus caula fœtida, tempus nox intempeſta. Et bene. Bethlehem enim, [quæ Hebraïcè *domus panis*] num

Chriſti Conceptio.

Ortus.

debebatur pani, qui de cœlo deſcendit, nox luci, caula Paſtori? Nati pueruli non ſoli ſatellites, non cultores ſoli fuere bruta, non ſolus conſcius puerperij S. Joſeph ſponſus Mariæ: ſed & in novum terræ Empyreum fluxere continuò Angeli ad myriades, qui venerati puppum humiliimè ejus genethliacon decantarunt certatim.

Adoratur ab Angelis

Et quia puellus vagiens erat Agnus Dei, invitati ideo ab Angelis excubantes agnis Paſtores volarunt ad ſtabulum velut ad ſolium. Maria interim alere, colere, oſculari, lactare & amplecti ſuaviſſimè ſuum parvulum, ut calefaceret. Elapſo tandem octiduo [*animam ejus quantumvis doloris gladius pertranſiret*] piè ſæviens præcoci circumciſionis martyrio cruentavit corpus illius lacteum. Sic hauſit primitias paſſionis. Hoc præludio crucis, hoc exinanitæ divinitatis naufragio, hac ſpontaneâ ſui ruinâ, his guttis pretioſiſſimi ſanguinis infans etiam tum ſine nomine inter homines ſibi emit nomen, *quod ſuperat omne nomen*, & quod à cœlo delatum fue-

Circumciditur.

Digitized by Google

it, Nomen JESU. Splendore tan- nominis & majeſtate deterſa om- ino fuit pudendi & inhonori vulne- s macula. Sed non ſola tam ſtu- endæ Chriſti humilitatis merces ex- tit tam grande & venerandum no- ien: fuit & alia merces maxima ipſi ctenti & vagienti puerulo exhibi- . à Magis congenulatio. Cum enim his ſordibus & pœdore ſtabuli de- :eſceret infantilis illa majeſtas ſine ıltu & ſatellitio *notuſque in Judæa eus* natus infans eo tempore nec Judæa ipſa notus eſſet: æmulati eli Angelos, qui Paſtores indige- .s evocaverant ad cunas novi Prin- pis, crearunt & ipſi inſolens eteorum, quod novam ſtellam care poſſim & novam linguam; m & diſcuſſerit mentium te- bras Chriſtique natalitia velut gurans præco Evangelizaverit ſine ce in ſemota Chaldæa. Vero-ſimi- eſt inviſum hactenus fuiſſe viſum à ıltis & obſervatum cum admiratio- hoc ſidus. Ut tamen vel tunc conſ- et paucos eligi, multos vocari; uuti ducem prævium tres dumta-

Imponitur nomen Ieſu.

Apparitio ſtellæ.

Tres Magi.

xat, velut Evangelij flores & Chriſtianitatis primitiæ, relictis ante præceptum Domini uxoribus, liberis, imo & regnis citra cunctationem quâ viſa ſtella iter arripiunt ignari, quò ſe conferrent. Ingreſſi Judææ metropolim Solymas poſtulant regiam, in qua more ſæculi & hominum putabant vagire, qui natus erat Rex Judæorum. Cumque intellexiſſent carere urbem regiam theſauro pretioſiſſimo, quem inquirebant unicè: egreſſi relucente & prælucente ſtellâ, quæ diurno fortè deliquio ſe ſubtraxerat oculis contemplantium, pervenere tandem ad tot optatam votis & tot quæſitam laboribus atque periculis regiam fœtidam & ſolitariam Bethlehem.

Intrant Solymas

§ II.

Adempta illic ſtellato & radianti ductori, penè dixerim Raphaëli ſplendido, facultate progrediendi plus ultra libravit ſe ſtella hæſitque immobilis ſupra caſam, quam illuſtrabat ſol ejus artifex, qui vagiebat in tenebris. Geſtientes Magi ad hoc miraculum deſiluerunt equis

Stellæ immobilitas.

ϰtemplo; plenique Deo, quem neſ-
entes quærebant & pietate ebrij ſe-
:re incunctanter, quod jam Paſto-
's & Angeli; coram puerilibus faſ-
is ſe proni reverenter advolvunt. *Mago-rum religio.*
Quantumvis enim viderent oculi, me-
ını puppum & tredecim tantum die-
ım puſionem eſſe, qui jacebat in fœ-
ɔ, primi fuere omnium, *qui non vi-
:runt & crediderunt:* imò qui vi-
:ntes tam incredibilia crediderunt.
identes natum in tempore non du-
taverunt eſſe æternum, involutum
ınnis infantulum crediderunt Ver-
ım & reclinatũ in præſepio Deum.
yncea illorum pietas & fides in fidẽ
ɔntra fidem vidit aulam in caula, ſo-
ım in ſtabulo, ſinum Patris in fœno,
gem in paupere, ſpiritum in carne.
'erbum in vagiente, Deum in vix ho-
ine. *Non inventa certè tanta fides
: Iſraël.* Stupenda illa ſanctorum
:regrinorum reverentia Chriſto præſ-
:a debebat & calcar eſſe omnibus &
vitamentum ad ſimilem; ab illa
men exitium fermè infantuli, ſaltem
ſcrimen. Veritus enim Herodes,
: novellus Rex ejus rapacitati adi-

meret ſolium, quod juvaſerat, nil non tentavit; ut quâ dolis, quâ ferro nondum bimeſtrem collideret. Ut in omnibus unum è vivis tolleret, quem timebat: graſſatus diro infanticidio inſaniit ferino ritu in omnes illius cœli infantes ad uſque bimulos: & ita paſſim in omnes, ut nec pepercerit liberis quibus Auguſto teſte *ſatius fuiſſet patris eſſe porcos; quam filios*. Poterat in hoc articulo puer omnipotens ſibi conſulere & ſoſpitati ſuæ renovare quidquid olim in * Angelis Loth vel in templo Jeroſolymitano aut in urbe Nazareth fecit poſtea grandior. Ut tamen doceret exemplo, quod docturus ſuos aliquando erat & verbo, ut perſequentes ſe fugerent de civitate una in alteram; poſt ſuſceptam ab illiſmi Maria, ideſt à puritate, Purificationis maculam fugit & ipſe; aſportatur inquam non de urbe in urbem, ſed de regione in contiguam regionem. Dux fugæ Joſeph, comes Maria; monitor Angelus. Quem venientem non coluerunt Ægyptij, adoravit Hermopoli, quæ in Thebaïde, arbor Perſica: quæ ſentiens creatorem

Herodis crudelitas.

* *Geneſ. 19. 11.*

Fuga Chriſti.

Math. 23.

Adorat eum arbor.

ium in puppo vagiente cernuis ad uſ-
ue ſolum ramalibus inflexit caudi-
em adoratura Dominum, quem vi-
ebat puellum. Manſere illic divini xules totum ſeptennium: nec aliun-e eo in receſſu datum illis diurnum z tenue demenſum; quam unde Iſ-aëlitis erronibus & Eliæ, nec remi-rarunt niſi juſſi. *Quamdiu Chriſtus in Ægypto*

§. III.

In illo Salvatoris exitu de Ægypto x de populo barbaro cum in Judæa egnaret Archelaus Herodis Infanti-idæ filius, non auſus illuc inferre edes Joſeph relictâ Judæâ ſe in Ga-ilæam recepit. Sic relatus poſtlimi-iio in ſuam Nazareth, in qua con-ceptus; eo in viculo cum Maria matre, um Joſeph. Ibi Dei ſapientia ſapere it parvulus & premere, quidquid Deum & majeſtatem ſpirabat; pro-lire tantum in officina fabrili; tracta-e octennis & novennis puer & major copas, verrere, colligere ſcindulas, ſportare eas in thalamum ad domeſ-icos uſus. Quam verè luſitans eâ æta-ulâ potuiſſet ſcribere de induſtria, quod fortuito ſcindularum contextu *Occupatio pueri Ieſu.*

Hildebrandus poſtea Gregor. VII.

ferunt ſcripſiſſe * puellum innocentiſſimum: *Dominabor à mari uſque ad mare.* Paulò grandior & duodennis profectus Jeruſalem una cum parentibus celebraturus feſtum Paſchale, cum ordinante cœlo manſiſſet illis inſciis in urbe ſancta vel impaſtus vel oſtiatim mendicans, poſt triduum à quærentibus inventus tandem fuit non in foro aut theatro, ut coætanei, ſed ut Doctor inter Doctores in Templo ſedens, audiens, interrogans & quod ſtupebant omnes, ad ſtuporem reſpondens. Ad amplexus inventi filij conqueſta Maria mater peramantiſſimè de triduana ejus jactura, *fili*, inquit blandè & peramanter; *Quid feciſti nobis ſic? Ecce Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Reverſus inde Nazareth quò jam vegetior eſſet in laboribus à juventute ſua, ſecunduſque Adam ſicut & primus in ſudore vultus ſui veſceretur pane ſuo: fabrilem licet emeritus edidicit & exercuit velut tyro. Ibi ergo majeſtas facta *opprobrium hominum & abjectio plebis*, tota in pulvere tractabat inſtrumenta viliſſi-

Sedet inter Doctores.

ia malleos, ſecures, tudites, aſcias, :alpra, terebras, forcipes, runcinas; lavos intrudere, avellere, acumina- : , dolare, runcinare, levigare, po- re, agglutinare aſſeres; fabricare ratra, juga, raſtros, vomeres, ſtivas, : ſi quid vilius ea in arte, erant pera Dei vel rudimenta. Hæc & id enus obivit majeſtas infinita non nenſes pauculos, non biennium; ſed uſtra ferme quatuor. Obſtupeſcite œli ſuper hoc! Nihil interim ne verbum quidem de CHRISTO IESU apud prophanos; & tria tan- um iſta *erat ſubditus illis* in Evan- gelicis paginis.

§. IV.

Anno trigeſimo primo inchoato, quo vernat ætas maturior & gerendis rebus idonea; Agnus ſine macula qua- ſi peccator baptizandus venit ad Joan- nem. Illicò lucta innocens inter hu- miles, Vocem inter & Verbum: vicit tamen mitis & humilis corde, qui ſex- to Idus Januarij perfuſus fuit aquis Jordanis quaſi peccator, ut ſolebant reliqui homines peccatores. Con- templaturi humilitatis miraculum *Baptiſma Chriſti.*

diduxere ſe cœli ; è quibus ſerena vox inſonuit * *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Suo ſic experimento didicit humilitatis Doctor quam verum, quod erat toties inſtillaturus ſuis diſcipulis ; *qui ſe humiliat, exaltabitur.* Nova certè fuit & juſta novi baptiſati prærogativa : quod ſpecie columbæ Spiritum Sanctum contemplatorem acciverit. Illo cum plenus eſſet & diſtentus ad cumulum ejus donis ; ab eo Chriſtus rapitur in eremum. Ea in ſolitudine vir innocens & tenerrimi corporis geſſit, quod nec Hilarion aut Paulus in Thebaïde ; quod nec poſſet calloſius bubſequa, nec auderet annoſus peccator in pœnitentiam : Dies ſolidos quadraginta impaſtus ſaginare ſe fame, tantillum dormire in ſpelunca vel nuda humo ſub dio. Verum tum maximè, quod exclamavit poſtmodum, *vulpes foveas habent, volucres cœli nidos : Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.* Poſt quadrageſimalem illam inediam adortus eum Diabolus ſemel & iterum & tertiò toties vincitur. Meruit tam luculenta

* *Math.* 3.

Digitized by Google

rictoria famulitium Angelorum in aaream: ſcriptum enim * *acceſſerunt Angeli & miniſtrabant ei.* Sed hora am illuxerat; ut qui non miniſtrari venerat, ſed miniſtrare, miniſterium uum impleret, faceret opus Evangeliſtæ & Doctrinarij principis evangelizando pauperibus; ad quod oratione, jejuniis proluſerat & diuurno ſilentio in concionatorum eemplum. Ne tamen obiret ſolus munus perneceſſarium cooptavit ſibi luodecim vel peccatores, vel piſatores. Hoc conſilio luſtrata cum s à docente Deo & pedite Galilæa. tum & per Judæam & quocumque parſæ tribus Iſraëliticæ ſe protendeant hinc inde trans Jordanem & itra. Calcati pagi, urbes, urbicue, caſtella, Synagogæ; nec certè llus in illis oris fuit angulus, qui abſconderet à calore ejus. Prima atechiſtæ Dei auſpicia cœpere à ladoſo verbo & delicatis Epicuriſtis perrimo, *pœnitentiam agite.* Sic incavit Dominus & magiſter in ejus hola primum, ſecundum, tertium, nnem denique tenere locum dolo-

* *Mat. 4.*

Catechiſmi.

Concionũ Chriſti exordium à pœnitentia.

res crucis: & in ratione vitæ Chriſtianæ utramque implere paginam amaritiem pœnitentiæ. Durus licet gulæ & delicato ventri videretur hic ſermo, diffuſa tamen erat tam ſuavis gratia labiis dicentis Chriſti, ut velut favus diſtillans mirum in modum alliceret auditores; paſſimque jactaretur ab iis, qui audierant docentis Verbi homilias ſive Catechiſmos familiares, *nunquam ſic locutus eſt homo.*

§. V.

Auditores Chriſti pauperes.

Nec crebrò tantum habiti illi à doctore doctorum, ſed quotidie, mane, meridie, veſpere, interdum & pluries eodem die. Auditores ejus non ſemper concio circumfuſa, nonnumquam una mulier: non proceres, non flos urbium, non matronæ ſplendidæ, non quod eminebat in cœtibus; ſed fœx vilior & quiſquiliæ, pauperes, parvuli non tam ætate, quam ſorte. Idcirco & dictum ab eo, *ſinite parvulos venire ad me*: idcirco & propria illi veluti dos & aſſumpta ultro iſta ſententia, *Evangelizare pauperibus miſit me.* Audiant nobilium & ſelectarum aurium aucupes

:oncionatores, erubeſcant & contre-
niſcant horrorę ad hæc docentis Dei
·xempla. Pluvio cœlo, ſereno, nubi-
o, meridiante luce, cadente & orien-
e ſole cœleſtis & ſimul terrenus Pla-
ıeta Chriſtus Dominus cum quære-
et errantes & eſurientes oviculas; ut
›aſceret eas pane divino, verbo ſci-
icet ſancto quod procedebat de ore
jus: quæritabant & illum ægroto-
um examina. Ad illum ergo fortunæ
›mnis, ſexus, ætatis, gentis, ex
udæa paſſim & finitimis regionibus
ınguidi, tamquam ad morborum
ıſanabilium medicum. *Omnis quip-
e turba quærebat eum tangere, quia
'irtus de illo exibat & ſanabat om-
'es.* Ubi enim primo mutatæ aquæ
ı vinum miraculo Thaumaturgus *Miracula.*
ıclaruit in nuptiali Canæ convivio:
|uâ data porta prorupere continuò
elut undatim flumina miraculorum
el fulgura. Continuò cœcis viſus,
ırdis auditus, pedes paralyticis, ſer-
no mutis, vita mortuis reſtituta.
Continuò fugati dæmones, paſti ſine
ıllo pene cibo innumeri homines,
›acati venti, ſedatæ tempeſtates, cal-

Digitized by Google

cata flumina mutata, elementa, morbi domiti, non qui hominum manibus curari poterant, ſed inſanabiles. Multa novimus, plura neſcimus.

Livor Phariſæorum. Hæc cum paſſim ederet vir potens opere & ſermone, perſtricti tot fulgetrorum radiis Phariſæi poſt excitatum maximè Lazarum ringebantur; & infrendentes in eum verborum ſpicula ululabant invidi; *quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit? mundus totus poſt eum abiit.*

§. VI.

Ab illo die raptum fuit ab impiis inferendæ Chriſto mortis conſilium.

Invitatus Chriſtus à Martha & Maria. Amantes verò Jeſu Martha & Maria poſt redivivum fratrem factæ ejus amantiores adornarunt cœnam non in præmium, ſed in gratitudinis indicium & charitatis. In ea accumbente Lazaro & miniſtrante Marthâ unguento nardi pretioſi *Piſtici*, id eſt ſinceri & nullatenus adulterati, ſui Domini pedes perfudit Maria laudabiliter prodiga, eoſque deterſit ſuis capillis. Cum Momum ageret, pietatem ſcilicet intempeſtivam mulieris carperet, qui tenebat loculos Judas

uturus poſtea proditor ; & prurigi-
em avaritiæ, quâ æſtuabat, perſo-
aret colore & ſpecioſâ larvâ miſeri-
ordiæ in pauperes : dignatus inno-
enti fœminæ patrocinari Dominus
on irâ, non veniâ, ſed admiratione
lignum oſtendit iſtud diligentis Mag-
lalenæ facinus immortale. Non dig-
um tantum ſed & digniſſimum quod
ubjungo. Cum vectus aſinâ trium-
hali, non pedes, ut aſſolebat, adiret
Chriſtus Jeruſalem; faſcinata ſalubri- *Exceptus Jeruſalē Chriſtus.*
er ejus miraculis turba populi, ubi
udit properantem ; facto agmine
nſtructa palmis proſiliit obviam ad
onorem. Indutæ ideò ad pompam
eſtimentis obviantium veluti peri-
ſtromatis viæ & ſtratæ ramis arbo-
rum vernare ad oculorum delitias.
Confuſo interim vocum concentu
non inamabili mugire aër, & con-
clamare omnes non *jó jó triumphe*,
ſed *Hozanna*, * id eſt rami ſali- ** Caninius de locis novi teſtam.*
cum, *filio David.* Triumphalem in-
troitum cum omnes proſequerentur
laudibus ; cum in honorem ſubeuntis
tripudiantes effunderent iſtas verbo-
rum phaleras & cupedias plauſuum,

Digitized by Google

Anemine invitatur ad prandium.

** Marci 11.*

Invitatur à Simone.

nec vel unus dignatus invitare Chriſtum ad comedendum panem. Iſtud tamen humanitatis officium admiſiſſet ultro eſuriens & expectabat. * Circunſpectis enim omnibus cum è tot millibus nemo invitaret ad ſtillam aquæ, impranſus urbem exiit appetente jam veſperâ. Exeuntem ſtipabant eum Apoſtoli duodecim, ut ſolebant. Stipabant & illum, quo die vocatus ad cœnam à Simone leproſo diſcumbebat Bethaniæ in ejus laribus. Quæ jam aliis epulis unxerat pedes Domini mulier, pietatis æſtu facta audacior plenam unguento ſuaviſſimo & exquiſiti pretij pixidem ex Alabaſtrite lapide ſupra recumbentis caput effudit. Prætextu pietatis & pauperum, qui potuiſſent & debuiſſent juvari inſigni iſto ſubſidio, exarſit iterum indignatio infrendentis: adfuit & iterum patrocinium redemptoris mitiſſimi.

§. VII.

Iudæ proditio

Mulcere tamen non potuit ſtomachum Proditoris vox elementorum domitrix & infernorum. Imò furoris impotentiâ prorumpens actutum

npius è cœnaculo, in morem violen-
i turbinis aut torrentis rectâ ſe pro-
ipuit ad Principis Sacerdotum. Co-
am iis ſpumans & frendeus: *Quid*,
nquit, *vultis mihi dare, & ego eum*
vobis tradem? In pretium gemmæ
næſtimabilis promittuntur * argentei
riginta. Priuſquã tamen pretioſa hæc
Margarita veniret in manus peccato-
um; *cum dilexiſſet ſuos, qui erant*
n mundo, in finem dilexit eos.
Hoc conſilio illis ſe dedit & ſe dedit
n cibum. Cum enim ſecundum ca-
iones legis veteris manducaſſet Ag-
um Paſchalem, qui ſaginaturus erat
Diſcipulorum animas Agno cœleſti;
præcinctus linteo advolvit ſe vel A
poſtatæ pedibus ſordidiſſimis; lavit
ànctiſſimis manibus, quibus uni-
verſi molem condiderat, lotos ex-
erſit. Reſumptâ poſt modũ cœnato-
iâ veſte, quam poſuerat ad id tantilli,
qui jam mutaverat aquam in vinum,
ecit in gratiam chriſtianorum aman-
ium, quod nec oculus vidit, nec au-
is audivit, nec in cor hominis aſcen-
lit: Metamorphoſin edidit inopinabi-
em & inconſpicuam. Immutatâ ſi-

* *Libræ ſex ſupra quadraginta noſtrates.*

Inſtitutio Eucharistiæ.

Lavat pedes diſcip.

quidem quantitate, figurâ, ſapore, odore, colore & hujuſmodi quæ incurrunt in ſenſus; *ad cibum & potum animarum voce operatoriâ vinum in ſuum ſanguinem, panem azymum verè mutat in carnem, Porrecta cœleſtis illa Ambroſia, propinatum hoc Nectar non modo innocentibus, ſed Judæ; qui intus lupus & foris agnus. Non fregit adamantinam illam animam incredibilis illa charitas Chriſti. Verum quaſi cum illo Angelorum ferculo intraſſet in eum Diabolus; urgente illum tam execrabili hoſpite luce dubiâ domo proſiliens adiit architectos mortis dominicæ Pontifices & Phariſæos. Chriſtus verò loquens cum reliqua ſuorum Diſcipulorum turma poſt admonitiones ſuaviſſimas cœpit ſolari eos amabiliter de futura in tantillum tempus ejus abſentia: fuſâ deinde oratione ad Patrem & recitato hymno Euchariſtico receſſit cum illis in montem Olivarum. Adjacens monti hortus receſſum præbuit oraturo: in eo avulſus à Diſcipulis dormientibus pronâ in humum fronte ſidereâ ſemel &

** Caro corpore & ſanguine Domini veſcitur, ut anima Deo ſaginetur. Tert. de reſurr. carnis c. 8.*

Chriſti oratio.

'um & tertiò Patrem rogavit, ut
co calix tranſiret. Eà oratione
ubuit lucta tam incredibilis; ut *Et ſu-*
ad inauditum cruorem ſanguinis *dor.*
ıorruerit ſanctiſſima ejus anima ad
ıc tormentorum Iliadem, quæ
verſabantur animo Chriſti conge-
antis, debebantque propediem te-
'um ejus corpus atterere. Hac in
ta vidit & audiit conſolatorem An-
um Dominus Angelorum.

§. VIII.

Per id temporis ſtipatus grege le-
rum Judas proditor graſſatus illuc
ctu ſe feſtinanter proripuit; ut fa-
et opus tenebrarum tenebricoſiſſi-
m, ſi quod umquam. Properanti
tus obviam Chriſtus non modo ut
icum ſalutat blandè, ſed & vo-
, ſed admittit oſculum ut ab ami-
Continuò in inermem proruit
ıors armata; certatimque expe- *Deten-*
s funibus & vinculis datorem li- *tio Chri-*
tatis ululantes adſtringunt: qui *ſti.*
vicem, hic pectus, alter bra-
a, ille manus, alius crura. Nec
ım manicæ; ſed & iniectæ huic
nſoni fuere propemodum compe-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

des à furentibus. Hoc ſcelerati habitu Chriſtus Dominus curſim & feſtinanter raptus ſiſtitur primò omnium coram Anna. Ab illo trahitur ad Caïpham ſummum Pontificem. Ibi pernox relinquitur ſputis, ſannis, cachinnis & colaphis illuſorum. Traducunt denique ad Pilatum, ut in perduellem pronunciet. Agglomeratæ hoc conſilio accuſationes abſonæ; cumquè non ſuppeterent vera flagitia, fictis onerant: nec ignotum Pilato. Tentavit ideo omnia, ut ſoſpitaret Jeſum, miratus imò & conteſtatus ter tacentis innocentiam dixit ingenuè coram omnibus nil admiſiſſe illum dignum ſupplicio, nil dignum morte. Judæiècontra cœperunt vociferantes fremere, obtendere, inſtare, & vel mentiendo impudenter arguere Chriſtum læſæ majeſtatis in Cæſarem. Ad hoc nomen dedit manus & lavit Judex nimium palatinus. Illius ergo juſſu vel nutu exuitur, flagellatur, coronatur ut ſannio, pungitur. Poſt multas alapas, ſputa, ſales, injurias, probra, convitia, obtritus, perfoſſus, laceratus, Apella pene,

Circumductio.

: exanimus, contuſus, terebratus
lavis, ſaginatus tormentis, ſaturatus
pprobriis, per omnes carnificinæ
ontumelias volutatus, adhuc ta-
ien earum ſitiens & eſuriens ærum-
arum, VIR DOLORUM,
ena pœnarum omnium, latrones
itermedius, latroni poſthabitus, ad-
ante & contemplante Matre cruci
ffigitur: & ſic furore Judæorum
iactatur Agnus innocens ſine macu-
. Ad Deicidium iſtud totus orbis
horruit & mortua ferme contabuit
ım moriente conditore ſuo natura.
uditum imprimis in Jonio mari
amore lugubri; *magnus Pan moa-
ıus eſt.* Ferunt & exclamaſſe Dyo-
ſium Heliopoli ad intempeſtivum
lis deliquium in plenilunio, *aut
)eus naturæ patitur, aut mundi ma-
hina diſſolvetur.* Tum etiam ab hora
xta ad Nonã, à meridie ſcilicet ad ho-
m tertiam, ſol uſque adeo tenebris
horreſcere, ut meridiante die ſtellæ
fulſerint; aulæum portæ interioris
pli ſe duas in partes diſcindere, tellus
ıcuti; petræ diducere, & reſeratis ſpõ-
tumulis reſurgere plures mortui.

Tormentâ.

Prodigia.

Digitized by Google

Leo ſer. 6. de paſſ.

** Debebat enim hoc teſtimonium ſuo mundus auctori, ut in occaſu conditoris ſui vellent univerſa finiri.*

§ IX.

Cum ingruerent Solymis & oris adjacentibus hæc prodigia; Chriſtus, qui pene mortuus erat, cum viveret, jam efflaverat animam. Ne pendulum hæreret Sabbato Magno corpus exanime, pius ejus veſpillo & pollinctor Joſeph Arimathæus cum Nicodemo depoſitum indulgente & ſtupente ad tam celerem mortem Pilato unguentis delibutum, involutum ſindone funerat. Et nè quis intempeſtâ noctè ſurriperet [ut ſuſpicabantur & ſpargebant invidi Phariſæi] advolvitur faucibus tumuli lapis grandior ad operculum, ſigillum apprimitur, adhibentur milites ad cuſtodiam. Tot inter Argos immoto & intacto lapide ſepulchrali tranſilit; & triduo poſt reviviſcit vi propriâ moriturus nunquam Phœnix divinus. Servata ab eo quinque corporis vulnera, ut monumentum triumphi eſſent & linguæ; oſtenſa ea amantibus poſt reſurrectionem & ſtatim; Mariæ matri primum

Sepultura.

Reſurrectio.

&

: ante omnes, Magdalenæ, * *Cephæ*, * 1. Cor. c. 15. 6.
> poſt hoc undecim; *deinde plus quam*
uingentis Fratribus ſimul congre-
atæ Diſcipulorum coronæ : Sed
ſtenſa dumtaxat; ſolus Thomas pal-
ıvit. Corporis immortalis non alia
gna regia, quam immortalium ſe-
:s Empyreum. Illuc tamen inferre
:atam carnem noluit, niſi poſt dies
ıadraginta. Per eos colloqui cum A- *Converſatio cũ Diſcipulis.*
ſtolis ſæpè & familiariter ut amicus;
nvivari interdum ut frater, non ne-
ſſitate, ſed charitate; ignaros inſti-
ere ut pater; & tradere illis ut Do-
or, quæ gerenda circa uſum, for-
am & materiam ſacramentorum,
ıdem ſe librando cœli Aquila ſur-
n abſceſſit. Locus, undè aſcendit, *Aſcenſio.*
ons Olivarum, factus ille omnino
eus, ut admitteret abeuntis veſti-
; evaſit ſaxeus, ne amitteret. Mira-
i & aſcendentis filii contemplatrix
ria; contemplatores quoque Diſ-
uli; donec intermediâ nube totus
nuit ex intuentium oculis. Non ali-
unc ſpirabat illorum anima, quam
Chriſtus amor, ſpes & theſaurus
ruin. Juſſi repetierunt Jeruſalem :

Digitized by Google

ibi per dies decem eodem in thalamo toti in calentiſſimis precibus quaſi vim faciebant Deo, manuque factâ ambiebant expectantes Conſolatorem promiſſum Spiritum Sanctum : qui datus tandem illis illapſuſque Cœnaculum, in quo orabant, collocavit ſe ſupra verticem ſingulorum. Species illi candentis linguæ : nec alio fine, quam

Miſſio Spiritus ſancti.

Verbis ut eſſent profluì,
Et charitate fervidi.

SANCTUS PETRUS
Proto-Papa.

Chriſti 34. *Tiberii Imperatoris* 19.

BICORPOR Chriſtus Dominus corpus Phyſicum indutum lumine ſicut veſtimento certus erat inferre in cœlum cœli; myſticum relicturus erat in terra. Ne autem eſſet acephalum & truncum inter homines; decebat, ut daretur ei caput viſibile. Cum ergo plus quam maturus cœlo & candidatus Empyrei abituriret Salvator;

put illi reliquit, nec dedit ſucceſ-
:m. Futurus enim ipſe *Sacerdos*
ternum præerit Eccleſiæ ſuæ affla-
nviſibili, non uſque ad conſum-
ionem ſæculi tantum, ſed in æter-
n & ultra. Qui ſucceſſorem igitur
iri nequit, cum vivat adhuc; &
nens in æternum ſempiternum ha-
t Sacerdotium, Vicarios eo pacto
et, quo Rex Proreges. Vicarium
amoris ſive *Pro-Chriſtum* præfe-
hoc conſilio corpori Eccleſiæ ſuæ
nſæ: & ille Petrus. Promiſſa illi
mirabilis dignitas, priuſquam
: & promiſſa ut luculenta merces
bi boni; cum percontanti Chriſto
m cenſerent eum ejus Apoſtoli?
itus Deo reſpondit velut omnium
gua: *Tu es Chriſtus Filius Dei*
vi. Collata verò ei fuit, cum re-
urus brevi Chriſtus ad Patrem
nſus cum Apoſtolis ſoli Petro im-
avit præ omnibus: *Paſce agnos*
s, paſce & * *oves meas.* His verbis
us hic Apoſtolus univerſi orbis pa-
, non unus quidem & unicus, ſed
iverſalis; non ſolus aut ſolitarius
Chriſtus, ſed Oecumenicus. Quò

Vicarius Chriſti Petrus, non ſucceſſor.

Hebr. 7. 24.

Promiſſa Petro prima dignitas.

* *Paſce oves meas. Quas? Illius vel illius*

populos civitatis aut regionis aut certè regni? oves meas, inquit. Cui non planum nōn deſignaſſe aliquas, ſed omnes? Bernar. L. 2. de Conſid. c. 8.

doceret non ædificandam Jeruſalem in ſanguinibus; nil Chriſtus in hoc indulſit carni aut ſanguini. Ideo nec Petro collata fuit hæc apicis prærogativa à cognatione; conſanguineus Chriſti non erat, ut Frater Domini Jacobus Minor: non à perfectioris vitæ præſtantia, ſocrum habuerat: non ab ætate, major erat Andreas; non ab acceſſu præcoci ad Salvatorem, ante reliquos omnes duo Baptiſtæ diſcipuli, quorum alter Andreas, jam adierant illum; non à vocatione, rapuerat primas Philippus: non ex operibus demum, ſed ex vocante [ſ]ut in Manaſſe quondam & Ephraim] præhabitus minor majori. Talem non natura fecit, ſed gratia.

§. I.

Mutatio nominis in Petrum.

Quamvis autem continuò ubi Petrus venit ad Chriſtum, non fuerit caput Eccleſiæ; datum illi ſaltem omen principatus aliquando futuri. Primo enim cum Chriſto Jeſu colloquio præmonitus ab eo fuit vocatum poſt hac eum iri *Cepham*; quæ vox licet germano ſenſu & linguâ Syriacâ *Petram* ſonet & duriſſimam

utem ; Græcè ſignificat * *Caput.*
'oſt tam fortunatum auſpicium , qui
uctus ad Chriſtum venerat , repe-
it Petrus lares paternos in Galilæa.
lius Pater Joannes; ideo dictus *Ba-
iona* , id eſt filius Joannis ; Frater
ndreas ; nomen Simon ; patria
jus Bethſaïda , ars piſcatura. Eam
egerat fortè exemplo patris , vel à
enio patriæ , quæ adſita erat mari
alilææ ſeu Tiberiadis , quod & ſta-
num Geneſareth à cognomine pro-
inciola , quam alluebat. Ordinante
c cœlo incumbebat piſcationi vel
ndulgebat Petrus eâ periodo ; quâ
ocatus fuit à Chriſto. Ad imperantis
ocem & auditum *ſequere me* fortunas
mnes reliquit una cum retibus eveſ-
giò & adhæſit vocanti. Ille tamen
c mancipatus piſcatorem adhuc age-
: , poſſidere cymbam & uti. Hæc
ocentis Domini ſuggeſtum fuit &
cademia. Cum enim ad ejus concio-
es hinc & inde confluerent utriuſque
xus examina ; ne Chriſtus opprime-
tur Catechiſta ſanctiſſimus , ſub-
ıxit ſe quam ſapienter irruentium
ultitudini. Ingreſſus hoc conſilio

** κεφαλὴ caput. Optat l. 2. contr. Parmen.*

Petri vocatio.

Chriſtus docens è cymba Petri.

Petri cymbam monuit, tantillùm abduceret eam à ripa, ut ex ea Catechiſmum doceret velut ex pulpito. Indicatum ſubobſcurè hoc ſacramento docturum eum ſemper ex Petri ſede, quæ ejus cymba. Imperavit poſtmodum Piſcatori diſcipulo, ut provectus in altum rete projiceret ad capturam. Qui pernoctans in hac opera fruſtra ſudaverat nec capto uno piſciculo: *Præceptor*, inquit confidentiſſimè, *per totam noctem laborantes nihil cepimus, in verbo autem tuo laxabo retè*: & obtemperatum continuò, Mercede non caruit obſequentis celeritas: tam conferta enim piſcium multitudo congregante eos Chriſto incluſit ſe certatim & veluti facto globo agglomeravit ſe tam incredibili agmine intra ſagenam, ut frangeretur. Acciti ideo ad ſubſidium ſocii Apoſtoli excipiendis piſcibus commodaverunt navim, qua vehebantur. Et ô ſupra fidem! in utraque navicula incubuit tam numeroſa piſcium multitudo; ut fatiſcentes ambæ ad hanc ſarcinam ſubmergerentur fermè in lacu. Ad hoc inexpectatæ piſcationis miraculum hærere Petrus,

Captura piſcium.

Stupor Petri.

Digitized by Google

iate, obſtupeſcere, excuſſo demum
:upore advolutus ad Chriſti Thau-
ıaturgi pedes conſcientiâ ſuæ tenuita-
:s exclamavit humillimè: *Exi à me,*
uia homo peccator ſum. Attonitum
t recrearet Dominus, blandiſſimè in-
:t: *noli timere; ex hoc jam homines*
ris capiens. Vox exultationis, vox illa. *Humilitas.*

§. II.

Poſt hanc auditam, qui nullos for-
unæ caſus, nulla pericula quantumvis
trocia debebat pertimeſcere; ibi ta-
ıen *trepidavit timore, ubi non erat*
imor: ubi ſi tantilla timendi umbra,
ulla certè ſincera cauſa ſuberat inſpe-
ctante eum non Salvatore tantum,
:d Servatore. Graſſatus in montis ver-
icem, ut aſſolebat, Dominus noctur-
ıæ orationis gratiâ diſcipulis juſſerat,
onſcenſâ ut lintre fretum tranſmitte-
ent. Illico atrox tempeſtas, luctari
rgo ratis contra procellam, verbera-
i flatibus, circumagi, demergi fer-
nè, & obrui fluctibus ad * quartam
ıſque noctis vigiliam: & eâ forte ho-
a tempeſtatum Dominus & vento-
:um ſuis illuxit velut amicum ſidus
itra comparationem magis propi- *Timor.* **Horam quartã matutin.*

tium, quam *Helena* & *Caſtores*, naufragantibus. Nulla erat cymba, quæ Conditorem maris veheret; nullum ſuber, quod ſuſtentaret; ſed fluebat molliter ſupra lacum, ſummiſque pedibus vix libabat illius ſuperficiem: adeo ut ſupra fluctus liquidos decurreret velut ſuper criſtallum ſolidam. Ad hoc ſpectaculũ rati periclitantes Apoſtoli meras eſſe præſtigias oculorum cohorruere ſtatim tanquam ad ſpectrum, & tremebundi ulularunt, *phantaſma eſt*. Serenaturus animas Chriſtus, *habete*, inquit, *fiduciam, ego ſum, nolite timere*. Ubi tinniit vox ſuaviſſima, reſumpſere illico animos, Petrus maximè. Ideo & morarum impatiens & avidus ſe incunctanter proripere; *Domine*, ait, *ſi tu es, jube me ad te venire ſuper aquas*. Facta illi à Chriſto vero Neptuno veniâ procedendi cœpit & ipſe continuò fluere confidentiſſimè ſupra ſtagni latices veluti ſuper aſſeres ſolidos. Mutavit ſe tamen paulò poſt ferme in deſperationem ejus fiducia: cum incrudeſcente vento & dehiſcente liquido tabulato ſentiens ſe demergi exclamavit voce

Chriſtus ambulans ſupra mare.

Petrus ſupra aquas ambulans.

lebili, *Domine ſalvum me fac*. Nau-
fragantem corripuit manus benefica
Salvatoris, nè rueret; & hæc tam ſa-
lutaris illi, quam Arca Noë. Quò
caſtigaret intempeſtivum Apoſtoli
ejulantis timorem ad præſentiam ſa-
lutis & Salvatoris addidit tantùm Chri-
ſtus *modicæ fidei quare dubitaſti*?
Iſtam vacillantis animi maculam
luit Petrus excellenti reſponſo.

§. III.

Docens Capharnäi in Synagoga
aſſeveraverat Paſtor bonus & optimus
Chriſtus Jeſus carnem ſuam eſſe ci-
bum animarum, ſanguinem ſuum eſſe
potum earum verè non metaphoricè;
saginatos hoc pane & hoc vino ebrios
fore compotes æternæ vitæ. Perculſi
hac ſententiâ velut ad monſtrum,
hyperbolem aut immanem blaſphe-
miam vel ipſius Diſcipuli & horum
unus Marcus Evangeliſta [qui tamen
vocante Petro reſipuit] frementes
rupere continuò in hæc verba: *Du-
rus eſt hic ſermo, ecquis poteſt eum
audire?* & ſimul docentem tam di-
vina deſeruerunt impiè ut nugivendu-
lum. Qui bonorum noſtrorum non

B v

Petri reſponſum. eget, qui non egebat, Chriſtus ſentiens iſtud ſchiſma converſus ad Apoſtolos, qui intererant; *Nunquid & vos*, infit, *vultis abire?* Et Caput omnium Petrus eructans citra moram verbum optimum corde magis quam ore: *Domine*, ait, *ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes: & nos credimus & cognovimus quia tu es Chriſtus filius Dei.* Idem illi reſponſum & magis luculentum: cum ſciſcitanti Chriſto, quem ipſum cenſeret ille, quem Apoſtoli? pro cœteris & præ cœteris Petrus: *tu es*, inquit, *filius Dei vivi.* Non à carne neque à ſanguine, ſed à cœlis orta & Deo revelante ſplendida illa confeſſio: ideo meruit nomen perſplendidum, quale competit Chriſto. Abrogavit enim Simonis nomen, quod præferebat à cunis, dignatuſque Chriſtus illi imponere nomen novum & ſuum: cum affatus illum coram Apoſtolis reliquis coram omnibus & præ omnibus, *tu es*, inquit, *Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* In his Chriſti Domini verbis Petrus Græcè idem ſonat, quod

Aliud.

Simoni datum nomen Petri.

:tra. Et quamvis utraque illa no-
enclatura Simoni quadret ex æquo,
ultò convenientiùs appellatur Pe-
us, quam Petra: eò quod Petra ſal-
m in corticè fœminam præferat &
uliebrem ſexum, Petrus è contra
rilem ſpiret & virum. Supra virum
go illius nominis fundata fuit &
lificata domus Eccleſiæ. Perhono-
ica eſt utraque hæc & *Petri* & *fun-*
mmenti nuncupatio impoſita Simoni
onæ filio ſive Barjonæ communiſque
i cum Chriſto, qui utrumque *lapis*
gularis, *fundamentum & Petra*.
liam ſed omnino diſſimilem meruit
em Apoſtolus amore nimis humano
ga Chriſtum zeloque intemperan-
, qui non ſecundum ſcientiam, ſal-
m ſanctorum. Ut infligenda Chri-
o à Judæis flagella & tormenta du-
ſſimæ Paſſionis minus ferirent diſ-
pulorum animas vacillantes; ſolitus
pienter præmonere eos Salvator,
iuſquam incrudeſcerent, occiſum
lum & à mortuis excitatum iri poſt
iduum. Corrugans frontem Petrus
l vaticinium tam inamabile inhor-
iit continuò ad tot atrocia: ideo &

Commune illi cum Christo.

Digitized by Google

ſeorſum ad Chriſtum per impotentiam amoris ſtatim ut homo & more hominum: *abſit à te*, inquit, *Domine, non erit tibi hoc.* Si quæ apprecatio laudabilis & amabilis, iſta maximè; quæ ab amore. Quia tamen tota à carne erat & ſanguine, cenſuram meruit; ideo & à lingua Chriſti mellea extorſit tremendum iſtud tonitru: *Vade Sathana, ſcandalum mihi es, quia non ſapis ea, quæ Dei ſunt, ſed ea quæ hominum.* Ecquis non contremiſcat ad iſtud fulmen & appellationem tam duram?

Petrus vocatus Satnan

§. IV.

Ab eodem erga Chriſtum amore alia ejuſdem Apoſtoli vox erupit tota amoris & charitatis. Per ceſſationem miraculi, quæ diu in nubilo fuerat, refulſerat tandem oculis hominum Chriſti divinitas, ſaltem ſcintilla: ideo & frons ejus ſiderea radiavit veluti ſol ejuſque veſtes candicarunt ad inſtar nivis. Contemplator tantæ majeſtatis Petrus oppreſſus ſtatim à gloria vinoque amoris ebrius ructavit ex abrupto voces iſtas amoris: *Domine bonum eſt nos hic eſſe; faciamus hic tria tabernacula tibi unum,*

Petri extaſis extransfiguratione.

Moyſi unum & Eliæ unum. Non
nirum, qui tanti erat inter Apoſto-
os & præ illis, haberetur Chriſti œco-
iomus: creditus ſaltem à Publicanis,
ui exigebant cenſum Capharnäi.
Non auſi illi Chriſtum adire, ut aſ-
olet fieri erga proceres, Petrum in-
erpellant velut ejus quæſtorem: atque
d illum continuò, *magiſter veſter*,
nquiunt, *non ſolvit* * *didrachma*?
d cum negaſſet Petrus properaret-
que rectâ ad Chriſtum narraturus
amquam ignaro, quæ inſperanti conti-
gerant; occupans illum Chriſtus
quæſtione propoſitâ de regibus Gen-
ium probavit ſolerter & evidenter illâ
ſimilitudine, immunem ſe eſſe tributo,
quod non dependitur, niſi à ſubditis.
Quia tamen illius regnum de hoc
mundo non erat, nec alio conſilio in
hunc venerat, quam ut impleret le-
gem ad literam, non verò ſolveret;
eam ob rem Petro mandavit; ut pro-
greſſus incunctanter ad mare immiſſo
hamo tolleret piſcem, qui ineſcatus
prior omnium caperetur; in ejus ore
fodinam eſſe pendendo vectigali; in-
venturum in eo * ſtaterem id eſt num-

* *Duas drachmas, id eſt aſſes 15. aut circiter noſtrates.*

Solvit tributũ pro ſe & Chriſto.

* *Duo didrachmata id*

eſt aſſes triginta aut circiter.

mum argenteum: imperando tandem ſubjecit, *ſumens illum da eis pro me & te.* Hîc non modo Petrus Altiſſimo ſimilis, ſed æqualis propèmodum. Qui juſſus tributum pendere pro utroque; avidus comperire Apoſtolus quænam illum, quænam maneret alios merces ex relictis amore Chriſti retibus & facultatulis, quas habebat; ut Caput omnium & pro omnibus cum dixiſſet ad Jeſum per modum inquirentis: *Ecce nos reliquimus omnia, quid ergo erit nobis?* audiit donatum eos iri mercede ampliſſimâ honore omnium maximo; fore illos ſpectaculum mirabile angelis & hominibus; mirante ſcilicet & præ horrore judicii contremiſcente toto orbe collocatum iri eos ſupra ſedes duodecim ut Senatores, ibique judicaturos duodecim tribus Jſraël.

Interrogat Chriſtũ.

§. V.

Jnvidenda prorſus felicitas videre infra pedes diadematum pompam & ſæculi majeſtatem: longè tamen inſignior videre non modo ſuis advolutum pedibus cœlorum Conditorem; ſed & lavari pedes & tergi manibus

Digitized by Google

Creatoris. Auſpicaturus ab omnium apite hoc humilitatis miraculum præinctus velut lixa pelvim aquæ ferens Rex & Dominus Angelorum venit ad Petrum. Et ille ſtupore rigens & ſura modum perculſus ad novitatem nopinati facinoris luctari cum magiſtro & facere, quod paulò ante oannes Baptiſta, piâque impudeniâ monere illum quaſi oblitum ſui ulminis, ut abſiſteret; repetere ideo *Domine tu mihi lavas pedes*; dejerans erme addidit, *non lavabis mihi pedes n æternum*: acquieſcens tandem poſt interminationem exitii dixit humiliter & peramanter ſimul, *Domine non tantum pedes meos ſed & manus & caput*. Saginati corpore Domini Apoſtoli & poti cœlorum nectare ejus ſanguine debebant omnes comitari, nutritorem tam bonum & quocumque iret & quàcùmque: illudque Petro ſupra omnes in votis: futurum tamen ut eum omnes deſererent per ignaviam, Petrus ipſe. Idque ei prænuntiavit Chriſtus; cum diſertis verbis præmonuit nocte proximâ omnibus & ipſi *Petra* fore ſe Petram ſcandali. Ad hæc verba Pe-

Non vult ſibi pedes lavari.

trus plenus confidentiâ & amore intimoque conſcientiæ teſtimonio auſus aſſeverare, contrarium ſtrenuè dixit: *etſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego numquam ſcandalizabor.* Non contentus iſto reſponſo, quò reſponderet Chriſto trinam comminanti negationem, exertè adhuc aſſeruit; *etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Necdum hæc ſatis, factum addidit, quod ferme ſupra fidem. A frémente militum globo oneratus vinculis Chriſtus libertas & liberator omnium trahebatur Jeruſalem: ſuo ut conſuleret Salvatori auſus eo articulo Petrus, quod inſani amantes: unus irruit in cohortem, inermis in armatos, in lupos agnus. Cumque miniſtraſſet illi arma vel furor ſanctus vel amor; librato ictu in caput ſervi Principis Sacerdotum haurit dextram illius aurem; auſurus haud dubiè idem in ejus herum, ſi adfuiſſet, ut in auctorem captivitatis dominicæ. Sed ò mutationem & inconſtantiam humanæ mentis! idem ipſe qui confertos inter milites confeſſus ſe intrepidè fuerat Chriſti diſcipulum; negavit

Confidentia Petri.

em ipſe, proh pudor! haud multò
oſt coram viliſſimo ſervulo & duabus
ncillulis. Adeo verum eſt nos alios
deri nobis, alios eſſe; vigilantes nos
mniare plerumque amorem Dei
ncerum & ejuſmodi opes animæ
eſſe nobis, quæ deſunt: adeo, in-
uam, verum eſt; *nec volentis eſſe
eque currentis, ſed miſerentis Dei*
on cadere; *& qui ſe exiſtimat ſtare,*
ſe in lubrico, ut cadat. Triplex illa
etri negatio non ad mortem fuit,
d pro gloria Chriſti & Petri. Cum
nim Chriſtus dignatus eſſet Petrum
ſpicere ſereniſſimis oculis, tam for-
ter eum perculit & tam ſalubriter;
egreſſus foras continuò ſe ſolverit
amariſſimas lachrymas. Felices
chrymæ! quæ Petro fuerunt vel
atatoria Siloë vel baptiſma. *Lachrymæ.*

§. VI.

Indicavit planè Chriſtus, quam
ceptæ ejus oculis eæ eſſent; cum
creaturus animam Petri, qui totus
mœrore & ſuſpiriis erat, poſt re-
rrectionem dignatus eſt divinus
nœnix ſe indulgere videndum ei &
iori omnium & ſoli. Dignatus & *Viſitatur à Chriſto.*

per Angelos invitare eum unum & nominatim in Galilæam: *dicite diſcipulis ejus & Petro, quia præcedet vos in Galilæam.* Haud multò poſt cum piſcaretur Petrus, cum piſcarentur & reliqui, ſub ortum ſolis exhibuit ſe illis in littore ſol animarum Chriſtus: cumque eum nemo dignoſceret, cognovit eum ſolus diſcipulus, quem diligebat Jeſus; dixitque Petro, *Dominus eſt.* Et ſtatim ille non aliâ vectus cymbâ, quam fide, non aliis nixus alis, quam charitatis, non alium ſequens nauclerum, niſi amorem; oblitus eſſe liquidum, quod calcabat, vel memor fuiſſe olim ſolidum ambulanti illico & fermè ſeminudus proſiliit in mare, quò maturiùs perveniret ad Chriſtum. Hac celeritate conſequutus Petrus apicem dignitatum & quod eſt ſummum in terris.

Amor Petri.

Ne conferret gratis, qui tamen indulgebat gratis hoc culmen; exegit ab eo Chriſtus pretium; nec aliud, quam amoris. Rogatus ter *Petre amas me?* non confidenter ut ante, ſed humiliter & planè ſuæ conſcius infirmitatis ter reſpondit quaſi ſubdubitans: *Do-*

Digitized by Google

ne tu ſcis, quia amo te. Triplici illâ
>ſeſſione dilectionis expuncta fuit
l emaculata triplex negatio; emen-
tùs fuit timor amore. Sic docuit
ıgiſter verba reſarcienda verbis,
ta factis contrariis; atque in anima
enitentis ſinceri pari gradu debere
ogredi culpam & pœnam ſeu pœ-
entiam. Amanti Petro commiſit
ıriſtus continuò amoris negotium,
m Paſtoris; credidítque illi chariſ-
ıam rerum omnium ſuam ſponſam
ıctam Eccleſiam; cum, *paſce,* illi in-
ıit, *oves meas.* Diviſum ſic inter nos
t amoris iſtud officium: pavi ego
m vixi; paſces tu impoſterum, quam-
ı vixeris. Sic Petrus relictus ſolus
o-Chriſto; melius dixerim, relictus
us PRO-CHRISTUS. Jure
go uſurpare poſſit primus & ſolus
nquam ſibi proprium quarto modo:

Creatur Chriſti Vicarius.

:cleſiam pro nave rego, mihi clima-
ta mundi
Sunt mare, doctrina retia, piſcis
homo.

§. VII.

Relictus ergo fuit in terris Petrus, primus & ſolus Chriſti Vicarius,

Miſſio Spiritus Sancti. ſed viſibilis. Potitus enim cœlorum Chriſtus Spiritum Sanctum miſit Vicarium ſuum viſibilem ſimul & inviſibilem: viſibilem in lingua ignea, quâ apparuit; inviſibilem verò in natura. Illapſus ſurſum ſe effudit in omnes, an æqualiter & in Mathiam promovente Petro, ut incumbebat ſummo Paſtori, jam ſubrogatum in vicem Judæ proditoris, *ego neſcio Deus ſcit?* copioſius ſaltem ſe monſtravit per Petrum. Ille enim plenus Deo ſpiritus more, qui *neſcit tarda molimina*, erupit è cœnaculo incunctanter; & quaſi ſolus ebrius vino cœli ructavit ſolus, quod biberat largiter intra *cellam vinariam*, inchoavit *Prædicatio Petri.* ſcilicet ſuum Piſcatoris animarum negotium; non alio hamo, quam linguâ, nec aliis retibus, quam verborum. Primâ concione, quam habuit, tria millia; ſecundâ verò quinque millia piſcium rationalium cepit & genuit Chriſto per Evangelium. Nec mirum, nec enim ille erat, qui loquebatur; ſed Spiritus Sanctus *dabat eloqui illi.* Datum & illi ab eodem Spiritu pati fortiter & reſpondere intrepidè ſenio-

ous & Principibus Sacerdotum. Fe-
ntes enim peracerbiſſimè duplex il- *Conſtã-*
d Eccleſiæ matris ſimul & virginis *tia.*
erperium, & fœturam illam Chri-
anitatis mirabilem & extempora-
am; nè gliſceret novella illa religio
eſque acquireret in dies, denun-
nt Petro, nè impoſterum *doceret*
nomine Jeſu, promoveret ſcilicet
s catechiſmis nominis Jeſu amo-
n & venerationem. Et ille qui nu-
erat ad interrogationem ancillulæ,
itatus à ſe omnino imperterritus ſta-
n & ſine mora; *ſi juſtum eſt*, inquit,
conſpectu Dei vos potius audire *Actor.*
am Deum, judicate. Non enim poſ- *4. 19.*
nus, quæ vidimus & audivimus non
ui. Idem illi reſponſum & æqualis
nſtantiæ poſt devoratam amaritudi-
m carceris. Eductus cum eſſet non
e alterius janitoris quam Angeli;
erminanti Principi Sacerdotum
entique imperioſè, *præcipiendo* *Act.*
ecepimus vobis, nè doceretis in no- *5. 28.*
ne iſto; reſpondit Petrus voce in-
pidâ, *obedire oportet Deo magis,*
am hominibus.

§. VIII.

Quia verò & Arca erat & ſagena ſimul ſancta Eccleſia; ſuum intra gremium claudere debebat & congregare ex omni genere piſcium & animalium; nec Judæos tantùm, ſed & Græcos ſive *Gentiles*: & Petro tanquam paſtori incumbebat revocare oves illas errantes: *ut fieret unum ovile & unus paſtor.* Idque imperatum illi vel præmonſtratum à Deo. Joppè cum Petrus ageret in ædibus Simonis Coriarii, certus erat comedere, jamque eſurienti inſtruebatur prandium circa meridiem: afflatus interim Deo paſſus divina raptus in exſtaſim, alienatus à ſenſibus fuit in corpore ſine corpore. Per has ſentientis animæ ferias vidit Petrus oculis animi apertum cœlum, delabentemque cœlitus & oneratam ferculis menſam è lino aut cannabe. Linteum quippe erat ſeu mappa grandior decidua verſus terram quatuor extremitatibus ſeu angulis ſic religata ſurſum, ut collecta in orbem repræſentaret quandam velut imaginem cacabi. In eo fervebat mixtura inamabilis prorſus fe-

Vocatio Gentiliũ per Petrum.

Viſio Petri Act. 10. 9.

rum, volucrum & ſerpentium; gratum oculis ſpectaculum, quantò agis palato? Jubetur tamen Petrus actare has belluas & manducare lut edulium ſuaviſſimum: *Surge etre, occide & manduca.* Detrectan- comedere & cauſanti ciborum pe- grinitatem & immunditiam vox ite- m à cœlo audita inſonuit; *Quod eus purificavit, tu commune ne di- ris.* Ad hæc æſtuans Petrus mirum modum cum ſecum tacitus cogita- t; quid portenderet inſolens illa ſio: ecce ad fores domus pulſarunt iſſi ad eum nuntii à Cornelio Cen- rione cohortis Italicæ, qui Cæ- reæ morabatur. Sic anxium & fluc- antem monuit Spiritus Domini, o foribus tres adſtare viros, qui eum ıærerent; à ſe miſſos; hos ſequere- r & citra religionis ſcrupulum iret, ıòcumque præirent illi. Obſequutus ıperanti Deo Petrus deſcendit con- ıuò ſine mora è tabulato ſuperiori, quod oraturus aſcenderat. Obviis, ıi ſe quærebant, dixit ultro nec dum terrogatus; *Ecce ego ſum, quem quæ- tis*: quæ cauſa vos huc deduxerit,

Monetur à Deo.

narrate ? Commemorare illi ſtatim omnia ab origine ; miſſos ſe à Cornelio viro juſto multæque pietatis in Deum ; imperatum illi ab angelo, ut illum evocaret abſentem & docentem audiret. Profectus poſtridie Petrus cum iis & nonnullis Joppenſibus jam Chriſtianis Cæſaream adit. Vixque inierat limen domus Cornelii ; cum ecce ille piâ impatientiâ venientem expectans una cum amicorum flore & neceſſariis , quos convocaverat , ad primum Petri aſpectum ſe advolvit perhumiliter ejus genibus velut coram Angelo Domini , *procidens ad pedes ejus adoravit.* Impatiens ad id honoris Petrus erexit eum confeſtim, *ſurge*, inquiens, *& ego ipſe homo ſum.* Ingreſſus autem cubiculum , ubi vidit circunſtantem coronam , explanavit inprimis ; quæ adegerant illum, ut Judæus licet & Circumciſus præter fas & morem migraſſet ad Gentiles & incircumciſos : audiit poſt modum à Cornelio ; quo conſilio & quibus auctoribus eum accerſerat. Addidit Petrus multa de Chriſto, de illius miraculis , morte, præſertim de mirabili ejus

Petit Cæſaream ad Cornel.

Act. 10. 25.

:jus reſurrectione poſt triduum.

§. IX.

Hæc dum evolveret afflatu Spiritus ſancti, ut conſtaret veritas promiſſio-ſis dominicæ, *Ubi ſunt duo vel tres* 'ongregati in nomine meo, ibi ſum *n medio eorum*; deſiluit idem Spiri-us Domini ſuper adſtantes. Præſen-iæ tanti hoſpitis non aliud extitit ar-;umentum, quam extemporalis ſeu epentina mutatio audientium; qui mnes loquente adhuc Petro auditi ınt continuò *loquentes linguis & ıagnificantes Deum.* Collatus illis d cumulum extemplo, ut fierent no-a creatura, imperante Petro baptiſ-ıus *in nomine Domini Jeſu Chriſti.* Ierebatur laudem nova iſta Petri piſ-atio: cumque in cœlo gaudium eſſet ıngelis ſuper illuſtrem illam Chriſtia-itatis coloniam inter Ehnicos; de-:bat ut Angelorum exemplo gaude-:nt Chriſtiani ad has cultorum Chri-i primitias & novella iſta germina ınctitatis. Cœpere tamen Judæi, ui piſcatore & convertente eos Pe-'o chriſtianiſabant, fremere & ob-ıuſſantes mordere hoc opus velut

Mat. 18. 20.

Baptiſmus Cornelii.

Digitized by Google

intempeſtæ religionis luxuriem, illudque ſugillare ut pruriginem intemperantis zeli; nec alia illis latrandi cauſa, quam cœca pietas aut pia cœcitas. Conflata ergo fuit Petro invidia ab inſanis hominibus, quod projeciſſet margaritas ante porcos & panem filiorum feciſſet canum; præter fas ſcilicet frequentaſſet idololatras in circumciſos & manducaſſet cum illis: *quare*, aïebant, *introiſti ad viros præputium habentes & manducaſti cum illis?* Temeraria erat & ſine cauſa piaque tantùm in ſpeciem, hæc indignatio obſtrepentium Judæorum: deferbuit tamen omnino, ubi Petrus enarravit ab ovo non alio authore geſſiſſe ſe, quod eâ occaſione geſſerat quam authore cœlo & imperante: *Ego*, inquit, *quis eram, qui poſſem prohibere Deum?* Quam acceptus Deo eſſet beatus ille Apoſtolus, dignatus indicare miraculis, qui dignatus paſſim per Petrum edere & erga omnes. Ad templi Jeroſolymitani portam *Specioſam*, ſic vocabatur, perdius deſidebat pro foribus claudus ab utero; pedes ſic habens ut non haberet, non expediret

Damnatur Petrus.

Act. xi.

Petri miracula.

ſaltem ad greſſus. Horâ Nonâ tertiâ
ſcilicet poſt meridiem, ut numerabant *Claudũ*
Judæi, cum iniret illam domum ora- *ſanat*
ionis Petrus ad preces; ecce ex inſ- *Actor.*
perato audiit in ipſo limine tinnien- *3.*
em mendicum & porrigentem manus
d eleemoſinam. Nulli erant Petro
oculi, nullum marſupium, neque
llus obolus quo ſublevaret pauperem
nendicantem; idque ipſe teſtatus,
um ait: *argentum & aurum non ha-*
eo, quod autem habeo, hoc tibi do.
à tamen in egeſtate opulentavit pau-
erem theſauro omnium acceptiſſimo
optatiſſimo, uſu pedum: *In nomi-*
inquit, *Jeſu Chriſti Nazareni*
rge & ambula. Dictum, factum.
atu operatorio robur inſperatum
lavit plantis & oſſibus deplorati lan-
entis; qui prorumpens ſtatim in
mnos & ſubſultans prægaudio tem-
um adiit acturus Deo & Chriſto
atias immortales, qui ſanaverat in-
abilem voce ſui Apoſtoli. Simile *Et Pa-*
dit in gratiam *Clinici* ſeu paraly- *ralyti-*
, qui ab octo annis jacebat Lyddæ in *cum.*
to ſine ullo motu & ferme ſine vita
merus caudex. Ut decumbenti Pe-

Digitized by Google

trus reſtitueret corpus in corpore & refunderet membra in membris, quorũ uſu caruerat tanto tempore; *Ænea*, inquit, ſic appellabatur æger, *ſanat te Dominus Jeſus Chriſtus, ſurge & ſterne tibi*; continuôque redditâ illi ſanitate exiliit: nec tam ſanavit Petrus illum quam Chriſtus.

Act. 9. 34.

§. X.

Nec ſtuporem pariunt nec merentur alioquin ſtupenda iſta miracula, ſi comparentur cum reliquis. Oraculum eſt; *mors & vita in manu linguæ*: nuſpiam verius & ratum eliquatiùs quam in Petro; cum ejus lingua fulmen, telum, vel clava fuerit in Ananiam & Saphiram ejus uxorem. Vendiderat agrum maritus & quæ fuit ejus hypocriſis, partem pretii, non totum, ut ſolebat, attulit ad pedes Apoſtolorum: ſed non impunè; revelante enim cœlo cognoſcens Petrus hoc mendacium ſimul & ſacrilegium: *Anania*, inquit, *cur tentavit Sathanas cor tuum mentiri te Spiritui S. & fraudare de pretio agri? nonne manens tibi manebat & venundatum in tua erat poteſtate?* Atque ad illud ex-

Proverb. 18. 21.

Act. 5.

Mors Ananiæ, & Saphiræ.

Digitized by Google

probrantis tonitru corruit ſubitò & expiravit. Eadem Saphiræ pœna, quia & culpa. Interrogata an veniſſet tanti hic ager; & hæc ut convenerat cum marito cujus ignorabat obitum repentinum, cum reſpondiſſet, *Etiam tanti*, eodem percuſſa fulmine, quo jam maritus, cecidit extemplò ad Petri pedes & expiravit ſimiliter. Inflicta jurè fuit utrique hæc animadverſio non ſeveritate ſententiæ, ſed correctionis exemplo; quò ſcilicet pœna duorum hominum eſſet doctrina multorum; ut qui non abſtinerent à malo more juſtitiæ, temperarent ſaltem timore pœnæ. Salutarisècontra extitit vel maſtix mortis & reſurrectio eadem Petri lingua erga pauperum matrem & viduarum Tabitham, quæ *erat plena bonis operibus & eleemoſynis, quas faciebat*. Permoleſta erat ea mors præmatura diſcipulis, qui erant in urbe Joppe: viſum ideo evocare illuc editorem miraculorum Petrum, qui Lyddæ non procul morabatur tunc temporis, ut pro Eccleſiæ bono excitaret defunctam. Miſſi duo viri eo conſilio duxere Petrum Joppen, inde in

Act. 9. 36.

Reſurrectio Tabithæ.

cœnaculum, in quo rigebat corpus exanime. Venere ſtatim ad Petrum *omnes viduæ flentes & oſtendentes ei tunicas & veſtes quas faciebat eis* Tabitha: & has cum ejeciſſet cum reliquis, congenulatus Petrus ad preces converſiſque ad demortuam oculis confidentiſſimè & deſpoticè imperando inquit, *Tabitha ſurge.* Animam mortuæ revocavit eveſtigio hæc Petri anima; nec tantum in ejus faciem, ſed & in eam totam inſpiravit ſpiraculum vitæ: ſtatim enim *illa aperuit oculos ſuos & viſo Petro reſedit.* Non mirum, quod aliquâ ſui parte patraret Petrus hæc & alia id genus inſigniora miracula; miraculum omnium maximum eſt, quod ea ederet nihilo ſui: ſic appello umbram ejus erraticam.

§. XI.

Petri umbra ſalutaris. Act. 5. 15.

Hanc ut admitterent languidi, proſtabant ſub dio & nudo Jove febrientes, cardiaci, podagrici, paralytici & ejuſmodi ægrotorum inſanabilium armenta vel greges. Non neceſſe erat, ut Petrus velut planeta beneficus perfunderet omnes & ſingulos aut libaret eos ſuccedentis umbræ afflatu; ſa-

Digitized by Google

is erat, ut unum: continuò enim à primo ad contiguum, ab illo ad proximum, ab illo demum affluxu ſaluberrimo ſe transfundebat ſanitas, tranſcurrebat, tranſilicbat, tranſvolabat ad omnes vel ad centenos & ad myriades; agebatque pene *in diſtans*, in diſſitos & intactos, quâcumque inſanabili & tenaci infirmitate decumberent. *Ita ut in plateis*, ait, *ejicerent infirmos & ponerent in lectulis & grabatis, ut veniente Petro ſaltem umbra illius abumbraret quemquam illorum & liberarentur ab infirmitatibus ſuis.* Certè nil tale unquam viſum in Iſraël, neque etiam ab architecto miraculorum omnium Chriſto. Bene ergo & eleganter diaconus Arator.

Excute Petre moras, tecum medicina ſalutis Ambulat, adde viam pes eſt ad gaudia velox; In pedibus noli ſe moram, tua ſemita vita eſt; Si properas jam nemo jacet, tu motibus umbræ Corpora cuncta levas; atque hoc ſimul inſcia voti Sumit turba tamens, quod cum rogat, accipit, unus. *L. I. Carmin in Acta Apoſtol.*

Tam ſalutari medico vel danda erat immortalitas vel optanda: in eum,

tamen contortæ diræ & mortis imprecatio à gente perfida Judæorum: imo & mors ipſa illata ipſi fuit in voto & præparatione animi ab Herode Agrippa. Non ſatis erat ferocienti principi & ſitienti ſanguinem Apoſtolicum mactaſſe Joannis fratrem Jacobum; prima hæc culpa gradus illi fuit ad alteram: ideo & graſſatus in Petrum certus erat eum è vivis tollere; nec alio fine, quam ut placeret Judæis. Compactus ergo in cuſtodiam Petrus carcerem pro domo habuit, vincula, manicas, compedes, & ſupellectilem ferream habuit pro veſtimentis. Ne quâ aufugeret; excubabant extra vel obſidebant carcerem milites ſedecim numero, Argos vocare poſſim vel leopardos: duo eum ſervabant intus; & hi uſque adeo Petri *Achates* erant & individui, ut hinc & inde dormientem ſepirent & inter-medium clauderent velut animati parietes. *In ipſa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites vinctus catenis duabus & cuſtodes ante oſtium cuſtodie bant carcerem.* Sollicita interim Eccleſia pro ſuo capite coire ſtatim in cœtum, Deum

Incarceratio Petri.

Actor. 12.

Sollicitudo Eccleſiæ

idire precibus quaſi manu factâ, piè nugire & tundere cœlum ſuſpiriis pro ibertate paſtoris, qui tantâ vigilan-iâ ſervabatur à lupis. Quam accepta)eo fuerit ea vis, indicavit liberator atus à cœlo. Cum enim feralis dies : capitalis ſententia jam appeteret, : poſtridie producendus in ſcenam ormiret Princeps Apoſtolus; illap-is intempeſtâ nocte forſan præſes S. cclefiæ Michaël vel cuſtos Petri An-:lus aſſumpto corpore intrat carce-m. Ad præſentiam tam auguſti hoſ-tis circumfulſit continuò locus te-:bricoſus claritate mirabili; excitat ſtmodum dormientem, compedes cutit, jubet ſubſequi præeuntem; :xperrectis demum, qui circum-bant eum cuſtodibus reſeratâ ul-) portâ ferreâ reddit liberum ſuſpi-:ti Eccleſiæ: idque his verſibus gantiſſimis explicat Arator in hunc)dum.

pro liberatione Petri

liberatur à carcere per Angelum.

Ferrea quid mirum ſi cedant oſtia tro, Quem Deus ætheree cuſtodem putat aulæ; Eccleſiæque ſuæ faciens inere cacumen Infernum ſuperare et.

§ XII.

Adit orantes.

Quò ſe recepiſſet Petrus jam liber, niſi ad ſuos? Rectâ ergo ad illas ædes, in quas cor unum & anima una ad orationem convenerant. Vix pulſaverat oſtium, cum ecce puella advolans exploratura quid rei eſſet, cognitâ pultantis voce reſilit feſtinanter & exiliens præ lætitia; nuntiatque Petrum adeſſe, pultaſſe & præſtolari pro foribus: *Ut cognovit vocem Petri, præ gaudio non aperuit januam, ſed intrò currens nuntiavit ſtare Petrum ante oſtium.* Æſtuare omnes confeſtim ad hoc nuntii: erant, qui aſſeveranti puellæ ſimpliciter & crudè dicerent *Inſanis*: erant etiam & qui aſſererent ſub Petri vultu & aſſumptâ perſonâ eſſe illius Angelum; *Illi autem dicebant, Angelus ejus eſt.* Aperiunt demum fores pultanti; & ſtatim omnes agnoſcunt, ſalutant, gratulantur, ſtupent; pendenteſque ab ore dicentis narrantem attoniti audiunt, quæ & quanta edidiſſet in ejus gratiam Deus O. M. ut aſſereret eum è carcere. Poſt

habitam narrationem mirè ſollicitus pro Jacobo & reliquis juſſit delegari incunctanter, qui ſuæ libertatis facerent certiores: *Nuntiate Jacobo & fratribus hæc.* Satis ſuperque Petrus princeps Apoſtolorum pedes & catechiſta luſtraverat Orientem ſuiſque illum illuſtraverat catechiſmis; Fratrem Domini Jacobum Minorem alligaverat uxori, cum præfecerat eum Solymarum Eccleſiæ: * Alexandrinam fundaverat ipſemet in Affrica, nec non & Antiochenam ſeu Theopolitanam in Aſia. Poſtulabat paſtoris œcumenici dignitas, ut faceret quod ſol: qui ubi ſuam diffudit lucem in Oriente, perfundit & ſuis radiis Occidentem: poſtulabat, inquam, ut tranſmarinam & principalem Eccleſiam conderet in Europa, lucemque Evangelicam ab Oriente transfunderet in Occidentem. Chara Salvatori hæc plaga; in eam ideo moriens habebat obverſos oculos & eam verſus emiſit ſanctiſſimam animam in argumentum amoris. Non contentus autem Chriſtus Dominus miſiſſe illuc munus tam pretioſum & ſanctum;

* *Marca l.6.c. 1. §. 4. de Concord.*

dignatus quoque & ipſe in Petro ſuo Vicario venire in Occidentem: dignatus & imperare ille ipſemet, ut transmigraret. Adeo verum eſt verbum Apoſtolicum, *quomodo prædicabunt, niſi mittantur?*

Rom. 10. 10.

§. XIII.

Ne autem fluctuaret Princeps Apoſtolus emetiri tot tractus & enavigare tot maria; viſus oranti Dominus, *Surge*, imperando, inquit, *Petre; vade ad Occidentem: opus enim habet, tuis ut illuſtretur facibus; & ego ero tecum.* Jubenti Chriſto obſequutus Petrus contendit illuc incunctanter; unde in omnem terram exire poſſet ſonus illius, in urbem principalem, dominam gentium, orbis metropolim Romam; ingreſſuſque illam Chriſti quadrageſimo quarto anno ſecundo Claudii Imperatoris continuò ſe ad Judæos gentiles ſuos recepit & regionem Trans-Tyberinam, quam accolebant. Non diù tamen volente cælo delituit in his tenebris cum hac hominum fœ-

Metaphraſt. die 29. Junii.

Petri advent⁹ Romā.

ce ; ſed ſtatim à tenebroſo illo convictu ſe provexit in lucem ; ut Evangelicam ſpargeret per magnæ civitatis vicos & compita. Ad novæ hujus lucis ſplendorem ſuos aperuit oculos vir ampliſſimi ordinis Pudens; qui non modo Chriſtianorum primitiæ, ſed factus Petri hoſpes ex Senatore. Hactenus Petrus erro & verus terræ planeta ſedes alibi erexerat & deſeruerat : non tamen erexit tantum Romæ, ſed fixit : & in hoc diſcrimen illi à cœteris civitatibus Jeruſalem, Alexandriâ & Antiochia ; quod llæ rudimenta ejus fuerint, hæc coona ; hæ fuerint veluti Petri luſus, æc opus ; quod illæ fuerint ejus diverſorium, Roma domicilium ſeu rmamentum. Sic novus Romulus ngè melior primo non ditiorem fet Romam, ut Auguſtus haud mulantea ; [qui ex lateritia gloriaba- fecisſe illam marmoream] ſed liorem fecit, cum ſanctam : taque reddidit, cum in ea collocit primam & principaliorem cathem Eccleſiæ Chriſti, quæ ſancta eſt. nanæ urbi obtigit invidenda ea fe-

Petrus convertit Pudentem.

Sedem fixit, Romæ.

Digitized by Google

licitas anno à Nativitate Chriſti Domini quadrageſimo quinto, poſt aſcenſionem ejus undecimo, tertio Claudii, decimo quinto Kalendas Februarii. Pluris hæc Petri Cathedra lignea, quam ſolium Cyri, quam Curules & thronus Salomonis. Ultimus ſit, ut ita loquar, Petri partus hæc ſedes: idem illi fatum, quod Joſeph, qui natu minimus fratres grandiores velut ſtellas adorantes ſe vidit. Sic Petri Apoſtoli ſedes primogenitæ Jeruſalem, Antiochia & Alexandria adorant vel adorarunt Romam: quæ poſtremâ ordine, dignitate prima ſeu apice ratum in ſe habuit iſtud oraculum, *major ſerviet minori*: nec non & aliud *erunt noviſſimi primi & primi noviſſimi*. Ea in urbe geſſit continuò illud cujus gratiâ venerat; totus incubuit ſanctus Apoſtolus, ut ſeminaret ſemen ſuum verbum Dei.

Quo anno & die.

Geneſ. 25. 23.

Math. 20. 16.

§. XIV.

Hoc conſilio Catechiſtam egit, tradidit ſcilicet fidei elementa, magnamque & populoſam urbem, [in qua, teſte Tacito, juſſu Claudii cenſa ſunt ſeu numerata ſexaginta novem

L. 11.

centena quadraginta quatuor civium millia (inſtituit vivâ voce. Memor inſuper in hac negotiorum mole ſive torrente ſe paſtorem eſſe Catholicum, commiſſumque ſibi totum orbem cum Urbe, nec minus conſulendum membris quam capiti, ibat votis per univerſum mundum; quique immenſus corpore eſſe non poterat, erat animo. Ideo & ſollicitudo illi & cura maxima eſſe ubique per ſua membra, per ſuos nempe diſcipulos, quos ut Eccleſiæ ſol emiſit velut radios; ut fons diffudit veluti rivos; ut ſator æternitatis ſparſit huc & illuc veluti grana. Ne recolam omnes & ſingulos, quos miſit in Italiam, Siciliam, Germaniam, Hiſpaniam, Angliam; debent illi noſtræ Galliæ populi ſuos Apoſtolos. Debent illi Aquitani & Vaſcones Martialem, Maternum Treviri, Rhemi Sixtum, Vienna Allobrogum Creſcentem, Arelatenſes Trophimum, Cenomanenſes Julianum, Catalaunenſes Memmium, Bituricenſes Urſinum, Avernenſes Auſtremontium, Petragoricenſes Frontonem, Sanctonenſes Eutropium, Senonenſes Sabi-

Mittit. Petrus Diſcipulos. per Europam.

nianum. Edicto Claudii, qui Judæos Urbe eliminaverat, egreſſus Româ Petrus tranſgreſſuſque in Affricam erexit Eccleſiam Carthaginenſem, Alexandrinam deinde [ſi Metaphraſti fides] profectus denique Jeroſolymas Synodum habuit cum Paulo, Joanne, Jacobo Minore, Barnaba & presbyteris: non aliâ causâ, quam quia Judæorum nonnulli profecti Antiochiam ſpargerent paſſim ejurantes idololatriam Ethnicos neutiquam conſequturos ſalutem; niſi baptiſmum ſimul & Circumciſionem ſuſciperent. Cumque in utramque partem ventilaretur hæc quæſtio, Paulus maximè & Barnabas circumciſionem exploderent ut ſuperfluam, miſſi ambo ab Eccleſia Antiochena venere Jeroſolymas, ut conſulerent Apoſtolos & presbiteros, qui illic erant. Nè quid temerè fieret & feſtinanter; viſum Apoſtolis, qui incunctanter & citra moram rem definire poterant, ut afflati Deo & pleni; librare eam ſeriò & expendere eoque conſilio coïre in unum: *conveneruntque Apoſtoli & Seniores videre de verbo hoc*, ait

29. Junii.

Præſidet Petrus Synodo. Jeroſol. An. Ch. 51.

Actor. 15.

Lucas. Totâ demum re accuratè diſcuſſâ locutus prior omnium Petrus, ut par erat Apoſtolorum Principem, cum enarraſſet paucis adductas Gentes ad Chriſtum illius miniſterio; diremturus ut judex hanc controverſiam pronuntiavit abſonum omnino eſſe illis imponere Circumciſionis & legis Moſaïcæ ſarcinam intolerabilem. *Nunc, ergo*, inquit, *quid tentatis Deum imponere jugum ſuper cervices diſcipulorum, quod neque patres noſtri neque nos portare potùimus?* Diſceſſum continuò à reliquis in ſententiam Sancti Petri; qui licet Lucas id diſertè non prodat, cenſetur meritò ratione ſui primatus auditis omnibus æquè clauſiſſe ſynodum ac cœpiſſe; quæſtionem ſcilicet explanaſſe primùm, poſtea definiſſe prærogativa ſuffragii, editumque à Jacobo decretum approbaſſe & præſcripſiſſe; ut conceptis verbis mitteretur Gentilibus.

Dirimit controverſiã Petrus.

§. XV.

Rebus tam ſapienter compoſitis egreſſus Petrus haud multò poſt Jero-

Digitized by Google

ſolymâ ſuam quondam ſedem adiit Antiochiam, ubi Paulus. Uſus ibi familiariter Gentilibus Chriſtianis admittebat eos ad epulas, & admittebatur viciſſim citra offenſam: temperavit tamen omnino, ubi à Jacobo miſſi Judæi venere Antiochiam. Veritus enim, nè convictus iſte eſſet illis lapis offenſionis & petra ſcandali, ſi ſentirent non modo non propagari legem Moſaïcam inter Gentiles, ſed & ipſum Apoſtolorum Principem Judæoſque paſſim vivere & veſci cum illis, finxit per diſpenſationem vivere ſe ritu Judaïco; ſecuti ejus exemplum omnes, & ipſe Barnabas ſubtraxere ſe ad tempus à convictu Chriſtianorum olim Gentilium. Subodoratus verò Paulus fore, ut hæc Petri œconomia converteretur in perniciem Gentium, ideo illum redarguit coram omnibus: ut ſic contineret Gentiles, & exemplo Petri Judæos commonefaceret, quid deceret præſtare eos impoſterum. *In faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat*, ait ipſemet Paulus. Nihil interim Petrus ad hanc Pauli licentiam; au-

Adit. Antiochiam.

Redarguitur à Paulo.

Gal 2. 11.

iit tantùm humiliter & ſilendo *fac-*
us ſicut homo non audiens & non ha-
ens in ore ſuo redargutiones: quod
ımen poterat, ut ſuperior: nihil ta- *Petri*
ıen cauſari libuit per arrogantiam, *humilitas.*
: in hoc eluxit luculenter ejus humi-
:as. *Illum quamvis primum Domi-*
ıs elegerit, ut ait Cyprianus, *&* *Epiſt.*
per eum ædificaverit Eccleſiam *71. ad*
am: tamen cum ſecum Paulus diſ- *Quint.*
ɒtavit, non vindicavit ſibi aliquid
olenter aut arroganter aſſumpſit;
diceret ſe primatum tenere & ob-
nperari à novellis & poſteris ſibi
ius oportere: nec deſpexit Pau-
n, quod Eccleſiæ prius perſecutor
ſſet, ſed conſilium veritatis admi-

Poſt iſta & id genus innumera,
e geſſit in Oriente, pelliciente
n amore audiens maximè in culto-
Chriſti ferocire atrociter Nero-
num gladium rediit tandem Petrus *Repetit*
uam Romã, quam invitus relique- *Romam.*
Statim illi lucta non cum homine
cum dæmone vel cum utroque;
ımque enim homo & diabolus Si-
ı Magus; imo aliquid majus: audie-
ſcilicet paſſim inter Samaritanos

Act. 8. 10. jactabaturque de eo, *hic eſt virtus Dei, quæ vocatur magna.* Solus ille, ſi verbis ejus fides, Deus unus & trinus, *Simon Magus* Samaritanis illuxerat uti Pater, ut filius Judæis, reliquis gentibus ut Spiritus Sanctus: ſuam habebat Helenam, fovebat, circumducebatque per provincias ut condimentum curarum. Non cultu dignus erat ſed culleo ille vir monſtrum hominis, ſi quis alius: impenſus tamen illi non modicus ſed ſupremus, cum Dei; non in orbis angulo, ſed toto orbe, cum Romæ. Illic & Deus habitus & ornatus ſummis honoribus à ſenatu & flore hominum: ideo & erecta ejus nomini ſtatua cum epigraphe, *Simoni Deo Sancto.* Utque ſe verè talem probaret, fingebat & faciebat, quod Pharaonis Magi, & quod ſupra naturam; ſed ad præſtigias oculorum dumtaxat. *Ficta Simonis miracula.* Hoc conſilio jacere ſæpe illæſus medio igne; tranſilire muros & fores obſeratas; lapides mutare in panem; ſe in metalla convertere & quodvis animal, prout libuerat; ſtatuas & quæcumque inanima expedire ad greſſum; edere demum in ſpeciem ea omnia,

quæ verè Petrus; tam in manu & crebrum illi, quam Petro.

§. XVI.

Heu quanta ſtrages & vaſtitas incubuit Chriſti ovibus à tali lupo! Colliſere ſe interim acriter ea in urbe Simon & Simon, Apoſtolus & Magus, ut olim David in Goliath, Arca in Dagon: promovebat uterque ſui domini cauſam, hic diaboli, ille Dei. Nec novum iſtud duellum; eruperat dudum ante, cum baptizatus à Philippo diacono Simon jam ſenior emere voluit gratiam miraculorum à Petro; qui unà cum Joanne miſſus ad Samaritas Chriſtianitatis neophytos clareſcebat magnis & ſtupendis miraculis. Ad preces enim illorum aperto cœlo defluebat ſtatim Spiritus Sanctus ſuper intinctos, loquebanturque linguis extemplo. Admirabatur hæc Simon: non ſatis illi tamen aſpicere & contemplari tam nova, ambire & æmulari; utque ait Tertullianus, *inter miracula profeſſionis ſuæ etiam Spiritum S. per manuum im-*

Miracula Petri ad Samarit.

Simon vult à Petro emere donum miraculorum.

poſitionem enundinare. Ratus ergo venalem eſſe prærogativam tam ſplendidam; nec gratiam eſſe à Deo, ſed artem & diſciplinam hominum: *ſi pigeat*, ait, *hanc mihi gratis dare, amabo vendite; comparo, en pecuniam; quantamcumque petatis, eſt animus numerare, accipite.* Sive ut habet Lucas, *obtulit eis pecuniam dicens, date & mihi hanc poteſtatem, ut cuicumque impoſuero manus, accipiat Spiritum Sanctum.* Ad hanc petitionem abſonam cohorreſcens Petrus velut ad monſtrum execratus votum inſaniſſimum hominis continuò inquit irrugiens: *pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam donum Dei exiſtimaſti pecuniâ poſſideri.* Monitus poſtea à Petro pœnitentiam agere & placare Deum ardentiſſimis precibus finxit dolorem & quaſi ſincerè pœnitens; *precamini*, inquit, *vos pro me ad Dominum.* Finxit, inquam, dolorem: nam reverſus ad vomitum, *Primogenitus Sathanæ*, ut vocat eum Ignatius, pejora cudit, quam antea; Romæ præſertim, ubi peracta cataſtrophe, ſed poſt fabulam.

Act. 8. 19. Origo Simoniæ. Corripitur à Petro

Epiſt. ad Trallian.

Digitized by Google

In ea urbe amicus Simon & perſamiliaris ſui ſimilium Neronis maximè ubi intellexit principem ſtolidum inſanire ad ſpectacula, volatus præcipuè hominum: quò captaret anhelantem ad hæc prodigia, promiſit volaturum ſe, idque illi eſſe in manu facturumque, quoties allubeſceret: & ad hoc deſtinata dies de induſtria. Illico ſparſus rumor novitatis tam admirandæ præſtitutâ die collegit infinitam multitudinem populi ad contemplationem ſpectaculi & videndam tam inſolentem volucrem. Curioſorum gregi dignatus ſe admiſcere Petrus alio tamen conſilio, quam quo Romani, futurus ſcilicet novi alitis non admirator ſed deturbator.

Volatus Simonis Magi.

§. XVII.

Integrum Petro erat impedire, ne verus ille Icarus, Elias falſus ſe proriperet ſurſum: noluit tamen, ut unius ruina fieret ſalus multorum & diſciplina omnium. Jamque ſe in auras libraverat homo nequam non portatus alis aquilæ ut Ganymedes Jovis, ſed

Deturbatur Petri precibus.

Digitized by Google

dæmone bajulo: totaque Roma attonita mixtis præ ſtupore vocibus conclamabat; *Simon magnus Deus Simon magnus Deus*. Petrus ècontra, qui intererat, orare flexis genibus cœlumque tundere ſuis ſuſpiriis: eoque habitu fecit, quod nec ſtans Hercules, duos vicit Dæmonem & Simonem. Converſa enim vel in fulmen vel in rupem Petri oratio ex Empireo ruens, quò ſe provexerat, irruit ſuper volantem belluam & adobruit: alligata ſcilicet, ut mola aſinaria ad ejus collum, decuſſit eum tam vehementer, ut alliſerit gigantem novum ad Petram. Obtritis ex eo lapſu pedibus jacuit miſer in pœnam; ut qui paulò antea volare attentaverat, poſtmodum ambulare non poſſet. Ex bipede verſus in Apodem ſpumans pudore ſimul & rabie; quò ſe obtereret, præcipitavit montis faſtigio. Poſt eliſum Simonem Neronis Imperatoris delitias correptus ejus imperio Simon Petrus tetrum in carcerem detruditur in ultionem. Ad innocentis præſentiam domus è prophana fit continuò ſacra: fecit enim ibi

Incarceratio Petri.

ibi Petrus, quod alibi, quod ubique: docuit, miracula edidit, fontem eduxit, intinxit. Cumque illic abſente extra Romam Nerone per menſes novem obiret omnia, quæ ſolebat paulò ante liber & extra carcerem: reus novi criminis, perſuaſæ ſcilicet caſtitatis cultioris formæ virginibus [ad quas Imperator Satyrus hinniebat] damnatur tandem capitis à Nerone. Suſpiranti poſt Chriſtum & cupienti dudum diſſolvi grata & perquam grata iſta ſententia. Animus erat, deſideranti animæ ad Deum maturare hanc horam & proſilire ad mortem, ut citius eſſet cum Chriſto. Adactus tamen Chriſtianorum precibus & amariſſimis lachrymis fugit & mortem & carcerem, quò ſuis ovibus ſervaret vitam vel daret. Jamque ex urbe pedes extulerat, cum ecce Chriſtus eam ingrediens factus obvius exeunti Apoſtolo. Hærere Petrus ſtatim ad ſpectaculum tam amabile & inexpectatum; donec excuſſo tandem ſtupore advolutus ad pedes Chriſti amanter ſimul & reverenter; *amabo*, inquit, *Domine, quo te pedes?*

Condemnatio.

Fuga Petri extra carcerem.

D

Exhibet ſe Chriſtus Petro.

ignoſce percontantis amori. Cumque Chriſtus Dominus perblandè reſpondiſſet, *venio Romam iterum crucifigi:* intellexit ad ſuam crucem divinum pertinere reſponſum; intellexit Chriſtum, quem Saulus perſecutus olim in ſuis; non ſuâ in carne glorioſa, quæ jam crucifigi non poterat, ſed crucifigendum rurſus in Vicario Capite, quod in terris reliquerat; in eo ſcilicet, qui *unctione Chriſtus* erat & poteſtate.

Bern. l. 2. de Conſider. c. 8.

§. XVIII.

Repetit Romam Petrus.

Regreſſus igitur incunctanter & eveſtigio ad Neophytos, quorum precibus & amore capeſſiverat fugam è carcere; narravit; quæ audierat à facto ſibi obviam Redemptore: correptuſque haud multò poſt à lictoribus non ivit ſed volavit ad crucem; ad quam tot ſuſpiriis anhelaverat. Inflictæ tamen illi prius virgæ ad ſanguinem ex inſtituto ſæculi. Ne ſimilis omnino eſſet *Altiſſimo*, ſi moriens in cruce moreretur, quomodo Chriſtus: qui mortis genus & inſtrumen-

tum mutare non potuit, mutavit modum per reverentiam in Salvatorem. Indignum planè ſe intelligens, qui cruci affigeretur eo ſitu, quo Chriſtus Dominus, capite deorſum inclinato terebratis ſurſum pedibus cruci ſuffigitur. Numquam capiti ſuo ſimilior, quam ſic diſſimilis. Paſſus ut ille, crucifixus, mortuus & ſepultus ut ille; aſcendit cœlos ut ille; venturus tandem inde cum illo & juxta Chriſti promiſſum judicaturus vivos & mortuos. Quid ultra? ſimilis illi quoque in hoc, quod ſicut & Chriſtus, ſortitus ſit in terris *Sepulchrum glorioſum*: cum ante Piſcatoris cineres & olim & hodie diadematum & principum gloria totaque majeſtas mundi ſuplex flexis genibus ſe advolvat. Idem vectigal honorarium impenſum etiam Paulo, qui & honoris conſors & mortis eodem anno, eodem truncatus die & eâdem urbe, quâ Petrus. De illo Apoſtolorum pari Epiſcopus Pictavienſis Venantius Fortunatus libro 3. Carminum eleganter ſic luſit.

Crucifigitur cum ſediſſet Romæ an. 24. inverſo capite.

Chriſti 69. 29. Iun.

Cœlorum portæ, lati duo lumina mundi,
Ore tonat Paulus, fulgurat arce Petrus.
Inter Apoſtolicas radianti luce coronas
Doctior hic monitu, celſior ille gradu.
Corda per hunc hominum, reſerantur & aſtra per illum,
Quos docet ipſe ſtylo, ſuſcipit ille polo:
Pandit iter cœlis, hic dogmate, clavibus alter;
Eſt via cui Paulus, janua fida Petrus.

SANCTUS LINUS Papa II.

Chriſti 69. Neronis Imperatoris 13.

POST obitum Petri ſecundi [ſi Malachiæ Epiſcopi vaticiniis adſtruenda ſit fides] ſuum habitura eſt

Digitized by Google

terminum & mutatura terras cum cœlis ſponſa Chriſti Eccleſia. Poſt truncatum primum ſuum caput viſibile ſanctum Petrum non continuò interiit. Ne grex Paſtore, corpus careret capite; extincto Paſtore primo poſt Chriſtum, exciſo primo capite velut Hydra ſanctiſſima repentino partu edidit Paſtorem novum novumque caput exſeruit. Imo mortuus Petrus revixit in ſucceſſore proximo & victurus in ſingulis, quibuſcumque ſint moribus. *Sæculis omnibus notum eſt,* inquit Philippus Apoſtolicæ ſedis legatus in Epheſina Synodo, *ſanctum beatiſſimumque Petrum Apoſtolorum Principem & Caput fideique columnam Eccleſiæ Catholicæ fundamentum ... ſolvendi atque ligandi poteſtate uſum fuiſſe; nec non per ſucceſſores ſuos hucuſque ſemper VIVERE, cauſas decernere, ſemperque VICTURUM eſſe.* Hæc viventis mortui, id eſt Petri, illuſtris reſurrectio, aut renaſcentis ſemper Phœnicis immortalis hæc vita cœpit à Lino. Herculani filius natus Volaterris in Tuſcia degebat Romæ, ubi & Petrus. Hæc

Act. Concil. Ephes c. 16.

Petrus vivit in ſucceſſoribus.

unica urbs cum Petro eſſet pro toto orbe vel totus orbis, in ea una erat Univerſalis Paſtor & omnium. In univerſo illo contracto meſſis multa erat, operarii pauci vel nulli. Eminebat Linus inter inſigniores.* E diacono Pauli provectus in Epiſcopum à Petro gerebat intra Urbem, quidquid ille negotiorum mole non poterat. Geſſit tunc maximè, cum deportatus in Orientem Petrus, etiam ſi ubique & ubicumque eſſet cum ſuis ovibus, avulſus tamen erat ab iis, quas diligebat teneriùs & paſcendas elegerat in Occidente. Commiſſa ejus ſollicitudini & geſta ſtrenuè Romani gregis cura & gradus Lino erat & omen; futurum, ut Petrus fieret ex *Pro-Petro*, ex abſentis ſcilicet Petri Vicario aliquando evaderet in ejus ſucceſſorem. Et quid magis conſonum, quam cui onus & honor? Prætermiſſus tamen fuit Linus à Petro, quantumvis illius Chorepiſcopus ſeu Coadjutor. Clementi tradita ab eo velut exquiſita hæreditas & quaſi ex teſtamento ſedes Romana. Factum divinitus, nè deſignatus admitteret. Ecquæ damna non

* *Ignat. ad Tral-*

Electio Lini.

invexiſſet poſteris illud exemplum? Detrectanti ſuffectus omnium calculis Linus multa edidit & mira præſtitit in privatorum bonum & publicum. In publicum & Chriſtianorum ſolatium ſcripſit duellum Simonis Magi cum Petro: ſcripſit & paſſionem Apoſtolorum procerum Petri & Pauli: iis tamen in actis inſperſi ſunt ab hæreticis multi errores. Et quia probè noverat ſanctus Pontifex perire plures & ferme omnes per oculos, & plerumque laſcivire eos petulantiùs in ſacris ædibus atque in conventibus pietatis ſæpe intrare mortem per feneſtras & oculorum valvas: ideo conſulturus infirmitati hominum ſtatuit quam ſapienter; *ne qua mulier niſi velato ad modeſtiam capite introiret Eccleſiam.* Hæc lex ſanctiſſima partim mandato Petri, qui juſſerat; partim ortum habuit exemplo Pauli, quem Linus audierat velut magiſtrum. Deus optime quot parceretur ſtragibus animarum! ſi obſequentes Apoſtolo *ſupra caput mulieres haberent poteſtatem*, velum ſcilicet, *propter Angelos.* Sancta lex & ter ſancta quò

Scripta.

Statuta

2. *Timoth.* 4. 21.

1. *Corint.* 11. 10.

abiiſti ! ô ſi obtineres hoc ævo ! Qui ſtatutis ſanctiſſimis & illibatis moribus vigilabat ità ſollicitè; nè dæmon invaderet per oculos animas chriſtianas & jugularet miſerrimè, dæmonas abigebat & mortem in bonum privatorum.

Sanat energumenos.

Reſtituit enim mortuis animam & fugavit diabolum ab Energumenis. Illius juſſu deſpotico extruſus paſſim truculentus hic hoſpes è multorum viſceribus. Experta vocem ejus beneficam & ſalutarem puella nobilis filia Saturnini ; quæ agebatur à malo Spiritu & angebatur atrociter. Debebat medicus ſalutaris ſperare à patre Conſulari luculentam mercedem in præmium ſanitatis : & conſequutus eam Linus ;

Damnatur à Saturnino.

cum ſedente Saturnino pro tribunali damnatus ab eo capitis tunc creſcere juſſus eſt, quando minui ; tunc cœpit inchoare vitam, quum mori, immortalitatem enim Saturninus dedit illi, cum mortem : eamque imperterritus ſubiit , cum ſediſſet annos undecim , menſes duos , dies viginti tres.

Chriſti 80. Septemb. 23.

§. I.

Adverſus digreſſio Caramuëlem.

Intermiſſo tantiſper hiſtorici officio videtur neceſſe omnino eſſe, tanquam parergon non intempeſtivum nec infrugiferum, hîc obiter & ex occaſione aſſuere opinionem temerariam & propemodum impiam Carmuëlis; qui opportunè importunè aucupatus argumenta adſtruendæ probabilitati improbabili [cujus acerrimum aſſertorem ſe præbuit] non contentus inter iſtius ævi ſciolos verius quam doctores *coacervare ſibi magiſtros prurientes auribus & à veritate auditũ averten-tes* ad probabilitatem, in cœlis etiam quæſivit ſibi patronum ſuæ ſententiæ S. Petrum; ejuſque adducit factum peculiare [de quo controverſia eſt inter hiſtoricos] quò probet ejus exemplo licitum eſſe in conflictu duarum opinionum probabiliori poſthabitâ ſequi minus probabilem. Inquirit hoc conſilio, an Romanus Pontifex poſſit ſucceſſorem eligere nominatim; atque ubi aſſeruit eſſe ex doctoribus,

Exploditur vaticinatio abſurdiſſima Caramuëlis.

qui affirment, eſſe qui negent; poſt ſuum Solem & Idolum ſuum Dianam ait negativam videri ſibi probabiliorem: demonſtraturuſque poſtmodum relictâ opinione magis probabili fas eſſe amplexari minus probabilẽ, numero 198. ſuæ Theologiæ fundamentalis docet id uſurpatum à S. Petro. *Interim*, inquit, *in re probabili, de qua à Chriſto nihil determinatum fuerat, Petro placuit ſequi opinionem minùs probabilem & materiàliter minùs tutam; quia ſciebat omnes opiniones probabiles formaliter eſſe æquè tutas, & minus probabili inſiſtẽdo denominavit ſucceſſorem. Audi S. Damaſum Papam Theologum Madritenſem virum verè eruditum, qui in libro de Romanis Pontificibus ad annum* 34. *aſſentitur Clementi epiſtolâ* 1. *ad Jacobum & ait; hic Petrus B. Clementem Epiſcopum conſecravit & ei Cathedram vel Eccleſiam omnem diſponendam commiſit.* Priuſquam cribremus vaticinationem abſonam Caramuëlis, qui velut propheta denunciat quaſi ex Tripode inſtitiſſe Petrum opinioni minùs probabili; præmonemus in his

pauculis lineis lapſum illum miſerabiliter in hallucinationes fœdiſſimas & indignas non modo doctore conſummato, qualem arroganter ſe venditat & putat eſſe Caramuël, ſed & neophyto. Nam præter anachroniſmum turpiſſimum de electione Clementis à Petro in ſuum ſucceſſorem factâ, ut ait, anno 34. quo vix Petrus inierat Pontificatus auſpicia; imperitè obtrudit quaſi germanam epiſtolam Clementis ad Jacobum minorem, quam conſtat eſſe adulterinam; idque demonſtrativè colligitur, ex eo quod obitus S. Petri iis literis nuntietur S. Jacobo, qui dudum ante Petrum martyrio fuerat conſummatus. Quantum ad reliqua habentes rationem ſæculi opinamur Damaſum magis extitiſſe *Theophylum*, quam *Theologum*: ſcripſiſſe vitas Pontificum Romanorum negant ſolidè eruditi poſt Hieronymum; qui libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis recenſens lucubrationes Damaſi de illa nec verbum quidem: fuiſſe illum patriâ Vimarenſem in Luſitania diœceſis Braccarenſis prodit Ciaconius poſt Onuphrium; nec *Errores Caramuëlis.*

ullus Madritenſem ſomniat , niſi præceps & minùs accuratus Caramuël.

§. II.

Sed hæc minima ſunt & luſoria ; ad ſeria jam tranſimus. Eſto, ſucceſſorem ſibi Petrus elegerit : quid inde ariolatur emunctiſſimus & ſagaciſſimus Doctor ? Cum monſtro probabilitatis diſtentum gereret & gravidum ſui cerebri uterum, fecit quod amantes ; de quibus apud Poëtam, *an qui amant, ipſi ſibi ſomnia fingunt* ? Finxit vel prophetavit *S. Petrum in hac electione inſtitiſſe opinioni minus probabili* : nec aliunde quam , à Diana ſuo phœnice & aliis ejuſdem farinæ & paris temeritatis doctoribus ? Ex hypotheſi quod Petrus ſuum reipsâ ſucceſſorem elegerit, ego Caramuëli oppoſitus ex diametro colligo illationem prorſùs contrariam ; & ſic non piè ſolum ſed ſolidè & theologicè argumentum conficio : S. Petrus elegit S. Clementem in ſucceſſorem ; ergo adeo non omiſſâ probabiliori ſententiâ ſequutus ſit minus probabilem ut nec

Argumentum contra

elegerit probabilem ſed veriſſimam, certiſſimam & indubitatiſſimam in hoc caſu. Cum enim eſſet diſcipulus Chriſti, qui *Veritas*; & miſiſſet in eum Chriſtus *Spiritum veritatis*, qui *docebat eum omnem veritatem*, practicam maximè, agereturque *Spiritu veritatis*: non modo quæ gubernante illum & dirigente Spiritu S. docecebat, vera erant & certa; ſed & quæ gerebat ejus afflatu: & ita ſi revera ſucceſſorem ſuum nominavit Clementem, id fecit ex certitudine non ex opinione; cum opinio ſit aſſenſus commodatus vacillanter alicui propoſitioni cum formidine partis oppoſitæ: ſive ut definit illam doctor Angelicus, eſt *actus intellectus, qui fertur in unam partem contradictionis cum formidine alterius*. Quod autem fit & geritur ex impulſu Spiritus Sancti, neutiquam habet annexam formidinẽ: nam ſicut *perfecta charitas foras mitit timorem*; ita & actio quæ oritur ex inſtinctu Spiritus Sancti, mittit ſimiliter foras timorẽ & conſequenter opinionem. Cum ergo Apoſtolorum Princeps hanc electionem obierit ex

Caramuelẽ.

Ioan. 13.

1. p. q. 79. art. 9.

privilegio & impulſus ad hoc Spiritu Sancto; ſequitur neceſſariò ſequutum illum in hoc facinore non probabilitatem; ſed veritatem; ſequitur etiam exorbitare illum turpiſſimè à veritate; qui erranti & audaci calamo ſcripſit *relictâ probabiliori ſententiâ inſtitiſſe S. Petrum minus probabili.*

§. II.

Quod quam ſit non modo à veritate abſonum ſed & à veriſimilitudine, liquet ex nupera cenſura; quâ Innocentius XI. diſpungẽs propoſitiones ſexaginta quinque peſtilentiſſimas, eaſque omnes & ſingulas prohibens ut *ſcandaloſas ad minimum & pernicioſas in praxi* ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ ipſo facto incurrendæ [à qua nullus excepto mortis articulo poſſit abſolvere, niſi Romanus Pontifex] iſtam damnavit, quæ ordine eſt ſecunda: *Probabiliter exiſtimo judicem poſſe judicare juxta opinionem minùs probabilem.* Si autem vera eſſet prædicta Caramuëlis ſententia de opinione minus probabili à S. Petro prælatâ magis probabili; propoſitionem

An. 1679. 2. Martii.

Damnata opinio Caramuëlis ab Innocentio XI.

illam *de judice judicante juxta opinionem minus probabilem*, quæ niteretur tam authentico tamque ſancto & imitando S. Petri exemplo, nequaquam ſapientiſſimus Pontifex damnaſſet ſub anathemate; ſed è contra laudaſſet eam, ſed commendaſſet eam ut ſanctam, ut tutam, & uſurpandam ab omnibus Chriſti fidelibus. Alioquin dicerentur pugnare ſecum Chriſti Vicarii & pugnantia tradere in materia morum; alium ſtare *Pro*, alterum *Contra*. Quæ duo ſi per impoſſibile vera eſſent in iſto argumento, non illepidè jactaretur de illis; quod de fabuloſis diis Poëta reſpectu Troiæ:

Mulciber in Troiam, pro Troia ſtabat Apollo.

Verum quam honorificum eſt S. Petro! quod perperam addit Caramuël. Errorem enim errori aſſuens Eccleſiam inquit abrogaſſe judicium S. Petri de electione Clementis; nullâque illius habitâ ratione primò Linum, Cletum poſtea ſubrogaſſe, demum Clementem. *Non obſtante*, ait, *probabili electione Clementis Eccleſiam probabiliori inſiſtendo ſenten-*

tiæ Linum & poſtea Cletum & tandem Clementem Pontificem denominaſſe. In his verbis ex æquo impius & irreligioſus Caramuël in S. Eccleſiam & S. Petrum; qui aſſerat emendatum ab Eccleſia poſtremum ejus judicium ut minùs ſapiens. Ex quo Eccleſiæ facto conſequuntur duo quæ jugulant Caramuëlemi, nempe *Concilium eſſe ſupra Papam*, & à vagienti *adhuc Eccleſia in perſona*, ut ita cohorreſcens loquar, S. Petri *condemnatam ejus opinionem* abſurdiſſimam, quâ cenſet licitum eſſe opinionem magis probabilem poſthabere minus probabili: *cum Eccleſia*, ut ait, *inſiſtendo probabiliori ſententiæ* damnans utique *probabilem electionem Clementis* Linum & Cletum elegerit.

Abſurdæ conſequentiæ ex ſententia Caramuëlis.

§. IV.

Sed nondum ſatis Doctori probabiliſſimo, qui ubique venans probabilitatem ubique eam facit, vel invenit; eâque conciliat controverſias omnes ſcholarum & tamquã medicamẽto Catholico ſanat morbos deplotatiſſimos animæ. Verſans enim eodem numero

198. jam laudato quæſtionem, de qua nos in vita S. Petri, celeberrimam ſimul & intricatiſſimam [quæ tam improbè fatigavit magna orbis capita Hieronymum & Auguſtinum] de reprehenſione Petri à Paulo; ignotâ illis Doctoribus viâ nullo negotio ſolvit illam beneficio probabilitatis ſuaviſſimæ. *Apoſtolorum tempore*, inquit, *imo apud ipſos Apoſtolos in materia fidei & morum utramque contradictionis partem probabilitas reddidit licitam honeſtamque. Diſſentit à cæteris Apoſtolis Petrus: ille connivet Judæis, ut Sygnagoga ſepeliatur cum honore. Hi feſtinant, ne ſi forte reliquiæ Judaiſmi aliquæ maneant, per illas neophyti revertantur ad vomitum. Rara erat contradictio dictaminum. Contradictoriæ aſſertiones non erant ſimul veræ, at erant ſimul probabiles & ideo ſimul licitæ. Quamobrem non peccavit Petrus connivendo tantiſper Synagogæ, quia ſequebatur ſuum dictamen probabile. Sed neque peccarunt Paulus & cæteri Apoſtoli feſtinando & Petro contradicendo & reſiſtendo; quia & ipſi habebant*

Reprehenſus Petrus à Paulo.

pro ſe probabiles & graves rationes. Bellè garrit Caramuël, ſed nihil probat. Felix, qui in his fuerit oculatior aquilis & lyncibus, quos veneranda antiquitas & Eccleſia protulit ſuo ſæculo aureo: felix, qui primus ſubolfecerit circa hunc nodum, quod nondum *aſcenderat in cor hominis*: Auguſtino non ſolum ſagacior & Hieronymo; ſed &, qui *raptus in tertium cœlum arcana ibi audiit, quæ non licet homini loqui*, ipſo Paulo. Circa hanc quæſtionem mirum! quanto ſtudio deſudarint Doctores Hieronymus præſertim & Auguſtinus; qui diviſis in utramque partem ſententiis acriter depugnarunt ab invicem, eoque conſilio ſcripſere literas ultrò citròque. In eo autem ipſo facto Petri, quod honeſtum & licitum jactat Caramuël, agnoſcit culpam actumque contra regulam veritatis doctorum aquila Auguſtinus. *In ſanctis*, inquit, *Scripturis didicimus Apoſtolum Petrum, in quo primatus Apoſtolorum tam excellenti gratiâ præeminet, aliter quam veritas poſtulabat, de circumciſione agere ſolitum*

Refellitur opinatio Caramuëlis.

L. 2. de Baptiſm contra Donatiſt. c. 5.

à poſteriore Paulo Apoſtolo eſſe correctum : & paulò inferiùs : *Si potuit inquam Petrus contra veritatis regulam, quam poſtea Eccleſia tenuit cogere gentes Judaizare ; cur non potuit Cyprianus contra regulam veritatis, quam poſtea tota Eccleſia tenuit, cogere hæreticos & ſchiſmaticos denuò baptizari ?*

§. V.

Concors S. Doctori Auguſtinus contractus, ut meritò à nonnullis vocatur S. Thomas, juxta illius mentem: *Verum eſt*, inquit, *quod Petrus peccavit, & Paulus verè eum non ſimulatoriè reprehendit.* Idem adſtruit ſecundâ ſecundæ quæſtione 43. cum ait : *Dicendum, quod Petrus peccavit quidem & reprehẽſibilis fuit ſecundum ſententiam Auguſtini.* Fuit & in opinione Pauli ; idque diſertè Paulus teſtatur : *Cum autem veniſſet Cephas Antiochiam, in faciem ei reſtiti ; quia reprehenſibilis erat.* Erat, inquit, verè reprehenſibilis Petrus, non videbatur tantum in ſpeciem. Nec talem

1. 2. q. 103. art. 4. ad 2.

art. 6. ad 2.

Galat. 2. 11.

Paulus cenſuit ratione intentionis; quæ illi ſoli cognita erat, qui corda hominum intuetur: nec ratione operis, quod non modo licitum erat, ſed quod & ipſe Paulus geſturus erat interdum & tempore & loco: *quod & Petro licebat ut pote ex Judæis*
1. 2. q. 103. art. 4. ad. 2. *converſo*, ut ait Sanctus Thomas: ſed ratione ſcandali, quod ejus operis occaſione oriebatur. Ejus enim exemplo invitabantur Gentiles ad Judaiſmum. Inde factum, quod licet innocens Petrus eſſet à culpa, Paulo viſus ſit meritò reprehenſibilis ex illa occaſione. Reprehenſibilem autem ideo
2. 2. q. 43. art. 6. ad 2. extitiſſe putat Doctor Angelicus; *quod ex hoc Gentiles ad fidem converſi ſcandalizabantur; non tamen factum Petri erat tam gravè peccatum, quod meritò poſſent alii ſcandalizari. Unde patiebantur ſcandalum paſſivum; non autem erat in Petro ſcandalum activum.* Hæc Doctores illi ter maximi poſt Sanctum Paulum; qui ſi iſtud Petri facinus diſpenſatoriè factum iiſdem vidiſſent oculis, quibus oculatiſſimus Probabiliſta Caramuël: non flagellaſſent illud ut malum & re-

prehenſibile; ſed laudaſſent ut licitum & honeſtum, quià probabile. Felix iterum Caramuël; qui in ſingulari hoc facto magis perſpicax fuerit, quam vel Apoſtolorum aquila Sanctus Paulus! Hæc, ut confidimus, boni conſulet lector veritatis amans, non probabilitatis; melius dixerim, improbabilitatis tam ſtultæ.

SANCTUS CLETUS Papa III.

Chriſti 80. *Veſpaſiani Imperatoris* 90.

BEATO Petro ſuperſtite Linum & Cletum Romana Eccleſia colebat ut magiſtros, & diligebat ut filios. Sollicita ergo illa velut mater pro liberis optabat, ut Coadjutores Petri alternis fierent illius ſucceſſores: & ſi non auſa exponere Petro Chriſti Vicario, quod Chriſto altera; *dic ut ſedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam & unus ad ſiniſtram in*

in regno tuo, utrumque ſaltem promovit in regnum Petri ſedem Romanam. Tributa Lino dextera, cum Romana ſedes data illi fuit ſtatim poſt Petrum; ſiniſtra Cleto, cum poſt Linum idem apex collatus illi fuit. De illo pauca vel nihil apud Scriptores.

Cleti Patria

Cleti Patria Roma, Pater Æmilianus, mores ſanctiſſimi. Iis cum præluceret vir optimus, à Petro electus in Chorepiſcopum obibat in ſuburbiis & pomæriis urbis maximæ, quæ Linus intra Urbem. Nullum humili Chorepiſcopo deſiderium inerat altioris faſtigii: coactus tamen *aſcendit ſuperius*, & quo nil ſupra; coactus inquam. Urgente enim & impulſore Clemente accepit magis infulas, quam admiſit. *Non ſumpſit ſibi honorem, ſed vocatus à Deo tamquam Aaron*: idque prænuntiabat illius nomen* Cletus. Intelligens novus Pontifex quanti in eo vertice negotiorum fluctus ingruerent deceſſoris Petri conſilio vel præcepto inauguratos quinque presbyteros ſupra viginti per regiones urbis magnæ, ne dicam parvi orbis, diſtribuit. Non aliud illorum erat penſum,

Chorepiſcopus Petri in ſuburbiis.

Eligitur.

Hebr. 5. 4.

* κλητος *vocatus*

Inſtaurat preſbyteros 25. in Urbe.

quam ut in illo oceano laborarent pro Chriſto ejuſque promoverent fidem ut pii remiges, quibus præerat S. Papa velut nauclerus. Iis & ſemotis Epiſcopis cum ſcriberet paræneticas vel hortatorias; in literarum apice appoſuit primus omnium hanc optimi ominis formula apprecatoriam; *Salutem & Apoſtolicam benedictionem*; uſique poſt illum eâ ſucceſſores ejus ut plurimum. His dum impigrè Cletus incumberet; *accepit benedictionem à Domino & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo.* Donatus hac mercede poſt gubernatã ſtrenuè annos duodecim, menſes ſeptem, dies duos Cathedram principem & hauſtum calicem paſſionis ſexto Calendas Maii. Illæſus egit biennium ſub Tito Imperatore, id eſt agno, qui nec mordere ſciret nec lædere: qui nec auctor fuit cujuſquam necis, nec conſcius. Mirandum ſanè! quod tres annorum triades ſederit ſub Domitiano, id eſt lupo; qui Titi frater & fratricida * *Neroniſque portio de crudelitate* non minùs virulenter incruduit in Chriſtianos, qui oves; quam in muſcas, quas configebat ſtylo.

Ejus formula in apice literarum.

Pſ. 32.

Chriſti 93. April. 26.

* *Tertull. Apologet c. 5.*

SANCTUS CLEMENS Papa IV.

Chriſti 93. *Domitiani Imperatoris* 10.

NIHIL optabat impenſiùs Alexandrina Eccleſia, quam promovere Athanaſium in ſuam ſedem: obniſus ille totis viribus fugiebat hũc apicem velut ſcopulum. Alexandro magnæ urbis Antiſtiti cum comperta eſſet pia hæc obſtinatio; futuri certus afflatu cœli elatâ voce ad pertinacem abſentem: *Athanaſi*, ait, *putas te poſſe effugere, non effugies tamen.* Idem Clementi fatum, ſi non idem oraculum. Moriturus Princeps Apoſtolus cum deſignaſſet eum nominatim in ſucceſſorem; mortuo illo Atlante poterat Clemens tanquam illius Hercules admittere & ſuſtinere cœlum Eccleſiæ: ſed exhorreſcens ad hoc faſtigium humilis anima Urbem exiit & vel extra orbem, ſi potuiſſet; quò ſic

Succeſſor Petri Clemens nominatus ab illo.

Fugit.

ſic honorem fugeret. Teſtes illius literæ & hæc earum verba, *ſecedo, abeo, erigatur Eccleſia Dei.* Electi interim conſequenter & ante illum Linus & Cletus rexerunt Sanctam Eccleſiam: anhelabat tamen hunc Roma. Cum fugiendo ſe ſubduceret ejus votis; affatus fortè illum interiori pectore morti & cœlo proximus Cletus: *Clemens*, inquit, *ſubduxiſti te ſatis & pluſquam ſatis: putas te poſſe fugere, quod declinas jampridem; nunquam effugies.* Cleto mortuo poſt annos ferme quindecim à Petri obitu domitâ pervicaciâ permiſit tandem Clemens ſe ordinari Epiſcopum ambientis dudum ſe Romæ. In illa orbis metropoli natales hauſerat à Fauſtino, qui ex vetuſta proſapia Senatorum & ſtirpe Cæſarum. Felix tam præclaris natalibus, longè tamen fuit felicior; quod auditor Apoſtolorum Petri & Pauli, qui illic docebant & in cryptis & palam, Ethnicorum primus ſuſceperit Chriſti fidem. Feliciſſimus certè, quod cum fide ſimul induerit chriſtianas virtutes, humilitatem præſertim. Et has cum exploratas planè

Epiphan. hæreſ. 27.

Patitur ſe eligi.

Genus Clementis.

Digitized by Google

haberet Princeps Apoſtolus, ne diutius lateret Clemens ſub modio; conſtituit eum *ſuper candelabrum, ut luceret omnibus, qui in domo ſunt.* Fecit hoc conſilio erga Clementem, quod Chriſtus abituriens erga ipſum, commiſit illi gregem Domini. Perculſus Clemens ſeu majeſtate ſeu divinitate tam fulgurantis apicis cohorruit ad formidandam vel ipſis Angelis ſolique tantum Deo-Homini convenientem ſarcinam. Uterque in hoc afflatus cœlo & cum Petrus contulit dignitatem Clementi; & ille cum detrectavit: aptius loquar, cum diſtulit. In ea enim lucta & eligentis Petri & recuſantis Clementis verum quam maximè, *quod differtur, non aufertur.* Cum admiſiſſet ergo invitus, quod recuſaverat tam pertinaciter & tamdiu; non contentus ſuis exemplis & vivâ voce conſulere Urbi, toti orbi conſuluit ſuis literis: & hæ tam ſalutares fuere Eccleſiæ Corinthiorum, ut miſerabili ſchiſmate à ſe diſcerpta earum ſubſidio ſecum redierit in concordiam. Sic non modo Vicarius Dei Clemens, ſed & dignus vocari *Filius Dei, quia pacificus.*

Modeſtia.

Literæ ad Corinth.

Digitized by Google

§. I.

Tanti hæc ejus epiſtola apud veteres, ut ex *Ambone* ſive loco editiori legeretur in Eccleſiis ut Canonicæ. Legebantur quoque ejus *Encyclicæ* ſeu Circulares, quibus commendabat ex more virginitatis florem ut ornamentum corporis & margaritam virtutum. Hoc unione pulcherrimo cum reſplenderet Flaviorum ſanguis Flavia Domitilla Clementis Thecla & Euſtochium (martyr poſtea Chriſti) virginitatis ream ex voto inſignivit ſacro velamine. Cumque non omnes *caperent verbum hoc*; colendæ virginitatis conſilium ſuggerebat cum modo, iis tantum; qui Chriſtiani jam dudũ candidati eſſent vitæ perfectioris & defœcatæ: contentus interim reliquos à cultu impio dæmonum ad fidem Chriſti, & ab errore traducere ad veritatem: & ad hoc eloquens erat mirum in modum. Cum ergo ſuis verbis infinitam pene turmam hominum alliceret ad chriſtianitatem: in eos ut in furciferos & reos omnium ſce-

Lectæ in Eccleſ.

Conſecrat Domitillam.

Digitized by Google

[illegible] miſſione Domi-
[illegible] ſignificari hoc
[illegible] : nec uno ca-
[illegible] Crem., ſed paſ-
[illegible] impetus vel in
[illegible] accidebat-
[illegible] moverunt mar-
[illegible] noxioſa &
[illegible] qui timebant-
[illegible] ſagaci pri-
[illegible] paulò
[illegible] Urbem ma-
[illegible] Veronis. Injunctum
[illegible] ut Co-
[illegible] eſſent, inquam,
[illegible] ſpectarent
[illegible] unde à
[illegible] & quæ locu-
[illegible] ;
[illegible] quæ ab illis
[illegible],
[illegible] ip-
[illegible] Con-
[illegible] conſul-
[illegible] : il-
[illegible] ut exem-
[illegible] ut præ-
[illegible] flo-

Digitized by Google

res perſecutionis turbo attereret, & mactarentur tot oves; parcitum S. Paſtori à ſæviſſimo Principe * *Nerone calvo*; & ſævitum ab optimo nempe Traiano; qui licet infamis amore puerorum ſeu *pæderaſtiâ* & immodico gloriæ deſiderio eſſet *herba parietaria*, ut irriſoriè vocabatur à Conſtantino; vitio ſæculi & adulatione fœdiſſimâ audiit *Optimus* inter Principes. Hujus Optimi primum edictum id fuit ſeu votum, *juſſu ſuo numquam virum bonum occiſum iri vel notandum dedecore.* Optimè niſi violaſſet illud in optimos nempe Chriſti cultores, in quos ſtatim ſtrinxit ferrum à principatus auſpiciis, & paulò poſt in eorum Antiſtitem. Non auſus ſævire in illum ſuo marte Præfectus Urbis Mamertinus ſuis à Traiano cum petiiſſet literis, quid facto opus eſſet, quid vellet circa oblatum ſibi Clementem; reſcripſit paucis Imperatoriè, *vel ſacrificandum Clementi vel deportatum iri in Cherſonam ultra Euxinum.* Mamertinus ergo ſtatim ad Clementem poſt acceptum à Traiano iſtud manda-

**Sic Domitianus vocatus à Iuven. ſat. 4.*

Damnatur à Traiano.

lerum incruduit atrociſſimè Domitiani barbaries. Excarnificati tunc ſancti ſupra numerum; nec uno tantum loco Urbis aut Circo, ſed paſſim & quâ furor aut impetus vel in terrorem vel in exemplum occidebantur promiſcuè. In hoc proventu martyrum nè interirent tam pretioſa & ſcripta cœlis nomina, qui funerabantur hinc & inde per vias, ſagaci prudentiâ Clemens providerat paulò ante: diſtribuerat ſcilicet Urbem maximam ſeptem Notariis. Injunctum iis pro unico penſo & omni, ut Corycæi eſſent, vel Argi, eſſent, inquam, auriti vel oculati teſtes; ſpectarent ſcilicet curioſè vel exciperent avidè à ſpectantibus & quæ paſſi & quæ locuti dixiſſent martyres in tormentis; notarent poſtea in Actis, quæ ab illis viſa & quæ audita, nomina martyrum, tormenta, annum, menſem, diem, ipſam mortis horam, ſi poſſent. Conſultum & martyribus mortuis, conſultum poſteris & coævis hoc pacto: illis ut haberent templa, his ut exempla illis ne carerent cultu; his ut præſtarent. Cum tot Chriſtianitatis flo-

Inſtituit ſeptem Notarios.

res perſecutionis turbo attereret, & mactarentur tot oves; parcitum S. Paſtori à ſæviſſimo Principe * *Nerone calvo*; & ſævitum ab optimo nempe Traiano; qui licet infamis amore puerorum ſeu *pœderaſtiâ* & immodico gloriæ deſiderio eſſet *herba parietaria*, ut irriſoriè vocabatur à Conſtantino; vitio ſæculi & adulatione fœdiſſimâ audiit *Optimus* inter Principes. Hujus Optimi primum edictum id fuit ſeu votum, *juſſu ſuo numquam virum bonum occiſum iri vel notandum dedecore.* Optimè niſi violaſſet illud in optimos nempe Chriſti cultores, in quos ſtatim ſtrinxit ferrum à principatus auſpiciis, & paulò poſt in eorum Antiſtitem. Non auſus ſævire in illum ſuo marte Præfectus Urbis Mamertinus ſuis à Traiano cum petiiſſet literis, quid facto opus eſſet, quid vellet circa oblatum ſibi Clementem; reſcripſit paucis Imperatoriè, *vel ſacrificandum Clementi vel deportatum iri in Cherſonam ultra Euxinum.* Mamertinus ergo ſtatim ad Clementem poſt acceptum à Traiano iſtud manda-

*Sic Domitianus vocatus à Iuven. ſat. 4.

Damnatur à Traiano.

lerum incruduit atrociſſimè Domitiani barbaries. Excarnificati tunc ſancti ſupra numerum; nec uno tantum loco Urbis aut Circo, ſed paſſim & quâ furor aut impetus vel in terrorem vel in exemplum occidebantur promiſcuè. In hoc proventu martyrum nè interirent tam pretioſa & ſcripta cœlis nomina, qui funerabantur hinc & inde per vias, ſagaci prudentiâ Clemens providerat paulò ante: diſtribuerat ſcilicet Urbem maximam ſeptem Notariis. Injunctum iis pro unico penſo & omni, ut Corycæi eſſent, vel Argi, eſſent, inquam, auriti vel oculati teſtes; ſpectarent ſcilicet curioſè vel exciperent avidè à ſpectantibus & quæ paſſi & quæ locuti dixiſſent martyres in tormentis; notarent poſtea in Actis, quæ ab illis viſa & quæ audita, nomina martyrum, tormenta, annum, menſem, diem, ipſam mortis horam, ſi poſſent. Conſultum & martyribus mortuis, conſultum poſteris & coævis hoc pacto: illis ut haberent templa, his ut exempla illis ne carerent cultu; his ut præſtarent. Cum tot Chriſtianitatis flo-

Inſtituit ſeptem Notarios.

res perſecutionis turbo attereret, & mactarentur tot oves; parcitum S. Paſtori à ſæviſſimo Principe * *Nerone calvo*; & ſævitum ab optimo nempe Traiano; qui licet infamis amore puerorum ſeu *pœderaſtiâ* & immodico gloriæ deſiderio eſſet *herba parietaria*, ut irriſoriè vocabatur à Conſtantino; vitio ſæculi & adulatione fœdiſſimâ audiit *Optimus* inter Principes. Hujus Optimi primum edictum id fuit ſeu votum, *juſſu ſuo numquam virum bonum occiſum iri vel notandum dedecore.* Optimè niſi violaſſet illud in optimos nempe Chriſti cultores, in quos ſtatim ſtrinxit ferrum à principatus auſpiciis, & paulò poſt in eorum Antiſtitem. Non auſus ſævire in illum ſuo marte Præfectus Urbis Mamertinus ſuis à Traiano cum petiiſſet literis, quid facto opus eſſet, quid vellet circa oblatum ſibi Clementem; reſcripſit paucis Imperatoriè, *vel ſacrificandum Clementi vel deportatum iri in Cherſonam ultra Euxinum.* Mamertinus ergo ſtatim ad Clementem poſt acceptum à Traiano iſtud manda-

Sic Domitianus vocatus à Juven. ſat. 4.

Damnatur à Traiano.

lerum incruduit atrociſſimè Domitiani barbaries. Excarnificati tunc ſancti ſupra numerum; nec uno tantum loco Urbis aut Circo, ſed paſſim & quâ furor aut impetus vel in terrorem vel in exemplum occidebantur promiſcuè. In hoc proventu martyrum nè interirent tam pretioſa & ſcripta cœlis nomina, qui funerabantur hinc & inde per vias, ſagaci prudentiâ Clemens providerat paulò ante: diſtribuerat ſcilicet Urbem maximam ſeptem Notariis. Injunctum iis pro unico penſo & omni, ut Corycæi eſſent, vel Argi, eſſent, inquam, auriti vel oculati teſtes; ſpectarent ſcilicet curioſè vel exciperent avidè à ſpectantibus & quæ paſſi & quæ locuti dixiſſent martyres in tormentis; notarent poſtea in Actis, quæ ab illis viſa & quæ audita, nomina martyrum, tormenta, annum, menſem, diem, ipſam mortis horam, ſi poſſent. Conſultum & martyribus mortuis, conſultum poſteris & coævis hoc pacto: illis ut haberent templa, his ut exempla illis ne carerent cultu; his ut præſtarent. Cum tot Chriſtianitatis flo-

Inſtituit ſeptem Notarios.

res perſecutionis turbo attereret, & mactarentur tot oves; parcitum S. Paſtori à ſæviſſimo Principe * *Nerone calvo*; & ſævitum ab optimo nempe Traiano; qui licet infamis amore puerorum ſeu *pæderaſtiâ* & immodico gloriæ deſiderio eſſet *herba parietaria*, ut irriſoriè vocabatur à Conſtantino; vitio ſæculi & adulatione fœdiſſimâ audiit *Optimus* inter Principes. Hujus Optimi primum dictum id fuit ſeu votum, *juſſu ſuo numquam virum bonum occiſum iri vel notandum dedecore*. Optimè niſi olaſſet illud in optimos nempe Christi cultores, in quos ſtatim ſtrinxit ...rum à principatus auſpiciis, & pau... poſt in eorum Antiſtitem. Non ...ſus ſævire in illum ſuo marte Præ...ctus Urbis Mamertinus ſuis à Tra...o cum petiiſſet literis, quid facto ...is eſſet, quid vellet circa oblatum ... Clementem; reſcripſit pau... Imperatoriè, *vel ſacrificantem Clementi vel deportatum iri Cherſonam ultra Euxinum*. Ma...rtinus ergo ſtatim ad Clementem ... acceptum à Traiano iſtud manda-

*Sic Domitianus vocatus à Iuven. ſat. 4.

Damnatur à Traiano.

haberet Princeps Apoſtolus, ne diutius lateret Clemens ſub modio; conſtituit eum *ſuper candelabrum, ut luceret omnibus, qui in domo ſunt.* Fecit hoc conſilio erga Clementem, quod Chriſtus abituriens erga ipſum, commiſit illi gregem Domini. Perculſus Clemens ſeu majeſtate ſeu divinitate tam fulgurantis apicis cohorruit ad formidandam vel ipſis Angelis ſolique tantum Deo-Homini convenientem ſarcinam. Uterque in hoc afflatus cœlo & cum Petrus contulit dignitatem Clementi; & ille cum detrectavit: aptius loquar, cum diſtulit. In ea enim lucta & eligentis Petri & recuſantis Clementis verum quam maximè, *quod differtur, non aufertur.* Cum admiſiſſet ergo invitus, quod recuſaverat tam pertinaciter & tamdiu; non contentus ſuis exemplis & vivâ voce conſulere Urbi, toti orbi conſuluit ſuis literis: & hæ tam ſalutares fuere Eccleſiæ Corinthiorum, ut miſerabili ſchiſmate à ſe diſcerpta earum ſubſidio ſecum redierit in concordiam. Sic non modo Vicarius Dei Clemens, ſed & dignus vocari *Filius Dei, quia pacificus.*

Modeſtia.

Literæ ad Corinth.

§. I.

Tanti hæc ejus epiſtola apud vete-
:s, ut ex *Ambone* ſive loco editio-
legeretur in Eccleſiis ut Canonicæ.
egebantur quoque ejus *Encyclicæ*
:u Circulares, quibus commenda-
at ex more virginitatis florem ut or- *Lectæ in Eccleſ.*
amentum corporis & margaritam
irtutum. Hoc unione pulcherrimo
:um reſplenderet Flaviorum ſanguis
Flavia Domitilla Clementis Thecla &
Euſtochium (martyr poſtea Chriſti)
virginitatis ream ex voto inſignivit
ſacro velamine. Cumque non omnes *Conſecrat Domitillam.*
caperent verbum hoc; colendæ virgi-
nitatis conſilium ſuggerebat cum mo-
do, iis tantum; qui Chriſtiani jam
dudū candidati eſſent vitæ perfectioris
& defœcatæ: contentus interim reli-
quos à cultu impio dæmonum ad fi-
dem Chriſti, & ab errore traducere
ad veritatem: & ad hoc eloquens erat
mirum in modum. Cum ergo ſuis
verbis infinitam pene turmam homi-
num alliceret ad chriſtianitatem: in eos
ut in furciferos & reos omnium ſce-

Digitized by Google

ſervientes ejus
riũ ſtuduerimus
nare dictionis o
monis. Dedim
nè hiulca eſſet &
ratio; ideo allig
nibus tam tem
juncta erant, v
xa & uno ſcrip
nare corpus hiſ

Cum autem
Breviarium in margine. berem mirum
duci lectores; p
compendium c
compendium,
paucis verbis c
& colligere per
tis continetur &
ginarum contex
geretur ſimul f
Libuit inſuper
Diſtinctio in paragraphos. interjectos para
ctori datur vel
ducendæ animæ
deluditur blandè
git & ineſcatur
quò videtur illi
ipſâ prolixius:

atteretet, &
; parcitum S.
incipe * *Ne-* *Sic Domitianus vocatus à Iuven. ſat. 4.
m ab optimo
icet infamis a-
deraſtiâ & im-
io eſſet *herba*
è vocabatur à
uli & adulatio-
Optimus inter
ptimi primum
tum, *juſſu ſuo*
m occiſum iri
. Optimè niſi
s nempe Chri-
ſtatim ſtrinxit
ſpiciis, & pau- *Damnatur à Traiano.*
ciſtitem. Non
o marte Præ-
us ſuis à Tra-
s, quid facto
circa oblatum
ſcripſit pau-
l ſacrifican-
portatum iri
uxinum. Ma-
l Clementem
iſtud manda-

Digitized by Google

lerum incruduit atrociſſimè Domitiani barbaries. Excarnificati tunc ſancti ſupra numerum; nec uno tantum loco Urbis aut Circo, ſed paſſim & quâ furor aut impetus vel in terrorem vel in exemplum occidebantur promiſcuè. In hoc proventu martyrum nè interirent tam pretioſa & ſcripta cœlis nomina, qui funerabantur hinc & inde per vias, ſagaci prudentiâ Clemens providerat paulò ante: diſtribuerat ſcilicet Urbem maximam ſeptem Notariis. Injunctum iis pro unico penſo & omni, ut Corycæi eſſent, vel Argi, eſſent, inquam, auriti vel oculati teſtes; ſpectarent ſcilicet curioſè vel exciperent avidè à ſpectantibus & quæ paſſi & quæ locuti dixiſſent martyres in tormentis; notarent poſtea in Actis, quæ ab illis viſa & quæ audita, nomina martyrum, tormenta, annum, menſem, diem, ipſam mortis horam, ſi poſſent. Conſultum & martyribus mortuis, conſultum poſteris & coævis hoc pacto: illis ut haberent templa, his ut exempla illis ne carerent cultu; his ut præſtarent. Cum tot Chriſtianitatis flo-

Inſtituit ſeptem Notarios.

perſecutionis turbo attereret, & ctarentur tot oves; parcitum S. ſtori à ſæviſſimo Principe * *Ne- ne calvo*; & ſævitum ab optimo mpe Traiano; qui licet infamis a- ore puerorum ſeu *pæderaſtiâ* & im- odico gloriæ deſiderio eſſet *herba rietaria*, ut irriſoriè vocabatur à onſtantino; vitio ſæculi & adulatio- e fœdiſſimâ audiit *Optimus* inter 'rincipes. Hujus Optimi primum dictum id fuit ſeu votum, *juſſu ſuo numquam virum bonum occiſum iri vel notandum dedecore.* Optimè niſi violaſſet illud in optimos nempe Chri- ti cultores, in quos ſtatim ſtrinxit ferrum à principatus auſpiciis, & pau- lò poſt in eorum Antiſtitem. Non auſus ſævire in illum ſuo marte Præ- fectus Urbis Mamertinus ſuis à Tra- iano cum petiiſſet literis, quid facto opus eſſet, quid vellet circa oblatum ſibi Clementem; reſcripſit pau- cis Imperatoriè, *vel ſacrifican- dum Clementi vel deportatum iri in Cherſonam ultra Euxinum.* Ma- mertinus ergo ſtatim ad Clementem poſt acceptum à Traiano iſtud manda-

Sic Domitianus vocatus à Iuven. ſat. 4.

Damnatur à Traiano.

Digitized by Google

lerum incruduit atrociſſimè Domitiani barbaries. Excarnificati tunc ſancti ſupra numerum; nec uno tantum loco Urbis aut Circo, ſed paſſim & quâ furor aut impetus vel in terrorem vel in exemplum occidebantur promiſcuè. In hoc proventu martyrum nè interirent tam pretioſa & ſcripta cœlis nomina, qui funerabantur hinc & inde per vias, ſagaci prudentiâ Clemens providerat paulò ante: diſtribuerat ſcilicet Urbem maximam ſeptem Notariis. Injunctum iis pro unico penſo & omni, ut Corycæi eſſent, vel Argi, eſſent, inquam, auriti vel oculati teſtes; ſpectarent ſcilicet curioſè vel exciperent avidè à ſpectantibus & quæ paſſi & quæ locuti dixiſſent martyres in tormentis; notarent poſtea in Actis, quæ ab illis viſa & quæ audita, nomina martyrum, tormenta, annum, menſem, diem, ipſam mortis horam, ſi poſſent. Conſultum & martyribus mortuis, conſultum poſteris & coævis hoc pacto: illis ut haberent templa, his ut exempla illis ne carerent cultu; his ut præſtarent. Cum tot Chriſtianitatis flo-

Inſtituit ſeptem Notarios.

res perſecutionis turbo attereret, & mactarentur tot oves; parcitum S. Paſtori à ſæviſſimo Principe * *Nerone calvo*; & ſævitum ab optimo nempe Traiano; qui licet infamis amore puerorum ſeu *pæderaſtiâ* & immodico gloriæ deſiderio eſſet *herba parietaria*, ut irriſoriè vocabatur à Conſtantino; vitio ſæculi & adulatione fœdiſſimâ audiit *Optimus* inter Principes. Hujus Optimi primum edictum id fuit ſeu votum, *juſſu ſuo numquam virum bonum occiſum iri vel notandum dedecore.* Optimè niſi violaſſet illud in optimos nempe Chriſti cultores, in quos ſtatim ſtrinxit ferrum à principatus auſpiciis, & paulò poſt in eorum Antiſtitem. Non auſus ſævire in illum ſuo marte Præfectus Urbis Mamertinus ſuis à Traiano cum petiiſſet literis, quid facto opus eſſet, quid vellet circa oblatum ſibi Clementem; reſcripſit paucis Imperatoriè, *vel ſacrificandum Clementi vel deportatum iri in Cherſonam ultra Euxinum.* Mamertinus ergo ſtatim ad Clementem poſt acceptum à Traiano iſtud manda-

*Sic Domitianus vocatus à Iuven. ſat. 4.

Damnatur à Traiano.

lerum incruduit atrociſſimè Domitiani barbaries. Excarnificati tunc ſancti ſupra numerum; nec uno tantum loco Urbis aut Circo, ſed paſſim & quâ furor aut impetus vel in terrorem vel in exemplum occidebantur promiſcuè. In hoc proventu martyrum nè interirent tam pretioſa & ſcripta cœlis nomina, qui funerabantur hinc & inde per vias, ſagaci prudentiâ Clemens providerat paulò ante: diſtribuerat ſcilicet Urbem maximam ſeptem Notariis. Injunctum iis pro unico penſo & omni, ut Corycæi eſſent, vel Argi, eſſent, inquam, auriti vel oculati teſtes; ſpectarent ſcilicet curioſè vel exciperent avidè à ſpectantibus & quæ paſſi & quæ locuti dixiſſent martyres in tormentis; notarent poſtea in Actis, quæ ab illis viſa & quæ audita, nomina martyrum, tormenta, annum, menſem, diem, ipſam mortis horam, ſi poſſent. Conſultum & martyribus mortuis, conſultum poſteris & coævis hoc pacto: illis ut haberent templa, his ut exempla illis ne carerent cultu; his ut præſtarent. Cum tot Chriſtianitatis flo-

Inſtituit ſeptem Notarios.

res perſecutionis turbo attereret, & mactarentur tot oves; parcitum S. Paſtori à ſæviſſimo Principe * *Nerone calvo*; & ſævitum ab optimo nempe Traiano; qui licet infamis amore puerorum ſeu *pæderaſtiâ* & immodico gloriæ deſiderio eſſet *herba varietaria*, ut irriſoriè vocabatur à Conſtantino; vitio ſæculi & adulatione fœdiſſimâ audiit *Optimus* inter Principes. Hujus Optimi primum edictum id fuit ſeu votum, *juſſu ſuo numquam virum bonum occiſum iri vel notandum dedecore.* Optimè niſi violaſſet illud in optimos nempe Chriſti cultores, in quos ſtatim ſtrinxit ferrum à principatus auſpiciis, & paulò poſt in eorum Antiſtitem. Non uſus ſævire in illum ſuo marte Præfectus Urbis Mamertinus ſuis à Traiano cum petiiſſet literis, quid facto opus eſſet, quid vellet circa oblatum ſibi Clementem; reſcripſit paucis Imperatoriè, *vel ſacrificantem Clementi vel deportatum iri in Cherſonam ultra Euxinum.* Mamertinus ergo ſtatim ad Clementem poſt acceptum à Traiano iſtud manda-

*Sic Domitianus vocatus à Iuven. ſat. 4.

Damnatur à Traiano.

haberet Princeps Apoſtolus, ne diutius lateret Clemens ſub modio; conſtituit eum *ſuper candelabrum, ut luceret omnibus, qui in domo ſunt.* Fecit hoc conſilio erga Clementem, quod Chriſtus abituriens erga ipſum, commiſit illi gregem Domini. Perculſus Clemens ſeu majeſtate ſeu divinitate tam fulgurantis apicis cohorruit ad formidandam vel ipſis Angelis ſolique tantum Deo-Homini convenientem ſarcinam. Uterque in hoc afflatus cœlo & cum Petrus contulit dignitatem Clementi; & ille cum detrectavit: aptius loquar, cum diſtulit. In ea enim lucta & eligentis Petri & recuſantis Clementis verum quam maximè, *quod differtur, non aufertur.* Cum admiſiſſet ergo invitus, quod recuſaverat tam pertinaciter & tamdiu; non contentus ſuis exemplis & vivâ voce conſulere Urbi, toti orbi conſuluit ſuis literis: & hæ tam ſalutares fuere Eccleſiæ Corinthiorum, ut miſerabili ſchiſmate à ſe diſcerpta earum ſubſidio ſecum redierit in concordiam. Sic non modo Vicarius Dei Clemens, ſed & dignus vocari *Filius Dei, quia pacificus.*

Modeſtia.

Literæ ad Corinth.

Digitized by Google

§. I.

Tanti hæc ejus epiſtola apud veteres, ut ex *Ambone* ſive loco editiori legeretur in Eccleſiis ut Canonicæ. Legebantur quoque ejus *Encyclicæ* ſeu Circulares, quibus commendabat ex more virginitatis florem ut ornamentum corporis & margaritam virtutum. Hoc unione pulcherrimo cum reſplenderet Flaviorum ſanguis Flavia Domitilla Clementis Thecla & Euſtochium (martyr poſtea Chriſti) virginitatis ream ex voto inſignivit ſacro velamine. Cumque non omnes caperent *verbum hoc*; colendæ virginitatis conſilium ſuggerebat cum modo, iis tantum; qui Chriſtiani jam ludū candidati eſſent vitæ perfectioris & defœcatæ: contentus interim reliquos à cultu impio dæmonum ad fidem Chriſti, & ab errore traducere ad veritatem: & ad hoc eloquens erat mirum in modum. Cum ergo ſuis verbis infinitam pene turmam hominum alliceret ad chriſtianitatem: in eos & in furciferos & reos omnium ſce-

Lecta in Eccleſ.

Conſecrat Domitillam.

lerum incruduit atrociſſimè Domitiani barbaries. Excarnificati tunc ſancti ſupra numerum; nec uno tantum loco Urbis aut Circo, ſed paſſim & quâ furor aut impetus vel in terrorem vel in exemplum occidebantur promiſcuè. In hoc proventu martyrum nè interirent tam pretioſa & ſcripta cœlis nomina, qui funerabantur hinc & inde per vias, ſagaci prudentiâ Clemens providerat paulò ante: diſtribuerat ſcilicet Urbem maximam ſeptem Notariis. Injunctum iis pro unico penſo & omni, ut Corycæi eſſent, vel Argi, eſſent, inquam, auriti vel oculati teſtes; ſpectarent ſcilicet curioſè vel exciperent avidè à ſpectantibus & quæ paſſi & quæ locuti dixiſſent martyres in tormentis; notarent poſtea in Actis, quæ ab illis viſa & quæ audita, nomina martyrum, tormenta, annum, menſem, diem, ipſam mortis horam, ſi poſſent. Conſultum & martyribus mortuis, conſultum poſteris & coævis hoc pacto: illis ut haberent templa, his ut exempla illis ne carerent cultu; his ut præſtarent. Cum tot Chriſtianitatis flo-

Inſtituit ſeptem Notarios.

persſecutionis turbo attereret, & ...actarentur tot oves; parcitum S. ...ſtori à ſæviſſimo Principe * *Nerone calvo*; & ſævitum ab optimo ...mpe Traiano; qui licet infamis a...ore puerorum ſeu *pæderaſtiâ* & im...odico gloriæ deſiderio eſſet *herba parietaria*, ut irriſoriè vocabatur à Conſtantino; vitio ſæculi & adulatione fœdiſſimâ audiit *Optimus* inter Principes. Hujus Optimi primum edictum id fuit ſeu votum, *juſſu ſuo numquam virum bonum occiſum iri vel notandum dedecore.* Optimè niſi violaſſet illud in optimos nempe Chriſti cultores, in quos ſtatim ſtrinxit ferrum à principatus auſpiciis, & paulò poſt in eorum Antiſtitem. Non auſus ſævire in illum ſuo marte Præfectus Urbis Mamertinus ſuis à Traiano cum petiiſſet literis, quid facto opus eſſet, quid vellet circa oblatum ſibi Clementem; reſcripſit paucis Imperatoriè, *vel ſacrificandum Clementi vel deportatum iri in Cherſonam ultra Euxinum.* Mamertinus ergo ſtatim ad Clementem poſt acceptum à Traiano iſtud manda-

*Sic Domitianus vocatus à Iuven. ſat. 4.

Damnatur à Traiano.

tum: *En* ait, *vel thuribulum aut navigium, en Jovis ara vel cymba; datur optio, elige.* Non fluctuavit Clemens ad iſta: ſed continuò citra morulam, *elegi jam,* inquit, *non Jovis aram ſed cymbam; nec exire ſolum extra ſolum natale, ſed & extra mundum. Ecquis hoc indulgeat peroptanti?* Illico igitur impoſitus navi Mamertino jubente exulaturus rapitur ad Cherſoneſum Tauricam.

Exiliū Clementis.

§. II.

In his Boſphori Cimmerii tenebris irradiabat lux multa; plures ſcilicet erant & innumeri ferme lucis filii Chriſtiani relegati illuc pro fide. Cœteras inter cruces, quas eò loci exantlabant infelices illi feliciſſimi, hæc acerbiſſima erat; quod poti quotidie largiter *aquâ tribulationis* laborarent aquæ penuriâ. Suppetebat quidem ſalſa illis ad nauſeam; ſitientibus emetienda erant diebus ſingulis * milliaria ſex, quo pii bajuli dulcem aquam conveherent ad bibendum velut equi & muli; & ex hoc penſo diurno labor

* *Duæ leucæ.*

:aviſſimus, levaturus beatorum pe-
ıtum recurrentem illam moleſtiam
ɔ ipſo loco volebat ſcaturire ultro &
xilire fons dulciſſimus: non auſus ta-
nen erumpere niſi nutu Clementis.
/ix preces fuderat, cum ecce oratio-
ne ſuâ, velut Moyſes virgâ, * *inter-*
'upit petram in eremo & adaquavit
eos velut in abyſſo multa. Splendet
in hoc miraculi dignitas, quod viſus
numquam antea, numquam poſtea
agnus pulcherrimus fontem elicuerit
ſuis pedibus: certè non alius, quam
qui ſitiens dixit; * *aqua quam ego*
dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis
in vitam æternam. Inſolens iſtud por-
tentum perculit accolas tam ſalubriter;
ut perſtricti tot radiis & eruditi ca-
techiſmis ſancti paſtoris certatim ex-
puerint idololatriam. Continuò enim
à patrato inſperati fontis miraculo cœ-
pit propagare ſe in eo tractu mirum
in modum Chriſti religio, exoleſce-
re impietas, explodi Jupiter, dirui
funditus ædes prophanæ, exſtrui ſacræ;
quâ pagis, quâ urbibus ad ſeptuaginta.
Sic ea in peninſula ſuam invenit Ro-
mam Clemens, vel fecit. Invenit

Fontem elicit Clemẽs.

* *Pſ. 77.*

* *Ioan. 4. 14.*

Converſio Ethnicorũ.

Digitized by Google

quoque illic veram vitam, cum mortem. Inferendi cauſa ſparſæ per illas gentes Chriſtianitatis & expunctæ idololatriæ fama; quæ graſſata ad uſque Urbem impleverat aures Traiani. Veritus, nè Chriſtianiſaret demum totus Oriens & Septentrio; ſi diurnaret Jovis & reliquorum numinum malleus Clemens; miſit illuc præſidem armatum diris in Chriſtianos. Primus Aufidiani [id nomen præſidis] impetus detonuit in Chriſtianos. Et hos cum intellexit non libenter modo ire ad cruces, ſed & lætanter; nec unum aliquem, ſed turmatim & facto agmine: perculſus exercitu moriturientium pepercit multitudini. Ut in uno tamen omnes occideret, collegit furoris molem & turbinem in unius Clementis caput, quò ſæviret ferociùs. Nè quid imprudens ageret, Clementem tentat colloquiis. Ubi ſenſit ſuis machinis nihil procedere in plenam Deo animam, & ad omnes Clementē obſurdeſcere: *Accipite eum vos*, protervè ait lictoribus, *ducite in medium maris & projicite in profundum; nè poſſint Chriſtiani tol-*

Miſſus præſes contra Clementem.

Sententia in Clemēt.

: *ejus corpus & colere illum pro* *Chriſti*
ɛo. Dictum factum. Lachrymari 102.
erim amariſſimè & ejulare in littore *Nov.* 23
nriſtianorum legio, quæ confluxe-
:. Et hæc cum ſoſpitare non poſſet
um Paſtorem: *Oremus omnes una-*
mes, inquiunt, *duo ejus diſcipuli*
ornelius & Phœbus, *ut oſtendat no-*
is Dominus martyris ſui reliquias.

§. III.

Satis ſuperque fuiſſet factum ſup-
plicibus, ſi veniſſent ad littus pretio-
æ reliquiæ: redidit tamen ante & poſt ** Pſ. 77.*
inauditum miraculum Chriſtianorum *Recedit*
oratio. Non * *diviſit* Pontum *in di-* *mare.*
viſiones, ut Virga Moyſis mare Ru-
brum: ſed *increpavit* Euxinum *&*
exſiccatum eſt; ſemovit ſcilicet ad tria
milliaria & ſecrevit aquas maris à lit-
tore; colligenſque eas velut in utre
Chriſtianis dolentibus viam aperuit &
facultatem præbuit ambulandi per ſic-
cum. Invitati miraculo abſcedentis
ſponte æquoris confertim ingreſſi *Clemen-*
Chriſtiani & ſcrutati curioſè, ſi quid *tis cor-*
occurreret; invenere tandem theſau- *pus in*
loculo.

rum, quem ardenter quærebant, margaritam inæſtimabilem corpus ſanctiſſimum intra ſaxeum loculum & anchoram, quâ demerſus fuerat, juxta poſitam. Nè jacerent ſub dio ſine honore cineres ſancti martyris, repentinam ædiculam erexerunt ei ex marmore Angeli. Certi erant tollere & ferme exportaverant venerandas reliquias ejus diſcipuli: temperarunt tamen; ubi manifeſtante cœlo iis innotuit recurrente die naufragii & pretioſæ mortis reſtauratum iri divinitus quotannis recedentis ultro ponti prodigium, ut confluentium pietati toto ſeptiduo pateret iter ad ædem mirabilem. Mirabilis certè tum ab architectis cœleſtibus, quum à ſtupenda & ignota illa prærogativâ, quâ fremente inſaniâ undarum & invitis fluctibus manſit inter vortices diu illæſa. Mirabilis, ſive fluctus lambendo eam molliter circumdarent velut inſulam: ſive librati ſurſum & penſiles in modum fornicis intactam cingerent & pellucido diademate coronarent eam in orbem. Mirabilis maximè ſoſpitate puerùli; qui volente Deo relictus illic

Erecta in ejus honorẽ Eccleſ.

Digitized by Google

: imprudentiam à parentibus eodem o ſacello repertus à matre fuit incomis poſt tranſactum annum ſoliım. Quot annos claruerit in his plas iſtud miraculum beata illa Eccleſia, eſcimus. Corruit fortè vel evanuit; bi ademptæ illi ſacræ Clementis reliuiæ, quæ eam conſecrabant, è Cheronâ devectæ Romam per Orientaes monachos Methodium & Cyrillum Occidenti fuerunt reſtitutæ.

Servatus in ea puer incolumis.

S. ANACLETUS Papa V.

Chriſti 103. *Trajani Imperatoris* 4.

CONSECRATÆ in vertice crucis Domini tres linguæ Principes Latina, Græca, Hæbræa deſignabant; fore, ut horum idiomatum & regionum homines hærerent alternis in culmine crucis Dominicæ: facti ſcilicet Chriſti Vicarii in Epiſcopalis gradus faſtigio ſubirent api-

Digitized by Google

cem crucis, cum obirent Romæ plenitudinem poteſtatis. Verticem illum jam conſcenderat gens Hebræa in Petro. Sortita quoque hunc Latina in Lino, Cleto, Clemente: evaſit demum illius compos & Græca in Anacleto. Vagiſſe illum in eo Europæ tractu etiamſi non loquerentur hiſtoriæ, clamaret * nomen, quod purum putum Græcum: illius pater Antiochus: patria non alia, quam Muſarum & ſapientiæ domicilium Athenæ. A natali urbe in Urbem, an cum Paulo venerit, an cum Petro, in ambiguo eſt. Certum tamen omnino inauguratum illum ſacerdotem ab Apoſtolo Principe * *B. Petri memoriam conſtruxiſſe*; Eccleſiam ſcilicet ſeu ſacellum ædificaſſe in Vaticano in memoriam & honorẽ crucifixi ibi Apoſtoli. E' cultore Petri factus illius ſucceſſor poſt demerſum Clementem: factus & imitator. Conſulens gloriæ & venerandis reliquiis triumphantium martyrum; nè pretioſiſſimi cineres promiſcuâ ſepulturâ vileſcerent & beatorum oſſa ſanctiſſima miſcerentur fœtidis cadaveribus damnatorum, di-

* ἀνακλητος. *ſurſum vocatus vel glorioſus.*

* *Verba libri pontifical. Damaſi.*

Cœmeterium conſecravit.

cavit locum peculiarem funerandis martyribus velut Sacrarium. Non contentus proſpexiſſe ſapienter honori tam illuſtrium mortuorum, fertur Eccleſiam illuſtraſſe ſanctiſſimis inſtitutis. Auſpicatus ab ordine omnium ampliſſimo * ſanxit; nè à paucioribus ordinaretur Epiſcopus; quam tribus; nè quem ordinaret ipſe alteri ſubditum, vel privatim; nè barbam aleret, aut promitteret comam nec cujuſcumque ordinis Clerici. Recolens brevi deficere & areſcere animam Chriſtianam, quæ *obliviſcitur comedere panem ſuum*; juſſit ut panis cœleſtis Euchariſtiæ fieret panis quotidianus fidelium: ſtatuit hoc conſilio peractâ celebrantis communione ſaginandæ animæ circunſtantes omnes perciperent panem animæ: * qui verò nauſearent, eliminarentur foris ut canes. Hac diſciplina mirabili mirum in modum ſe propagabat Chriſtiana reſpublica. Nè paſſim ſerperet ſævitum in Anacletum, qui diffundebat eam quâ monitis, quâ exemplis. Utroque illo paſtoris boni officio perfunctus totum novennium, menſes tres, dies

* *Begomas l. 8. in Suplem.*

Statuta Anacleti.

* *Idem ſtatutũ can. 10. Apoſtol. & can. 2. Antiochconc.*

**Chriſti 112. Iulii 13.*

decem; non tam exhauſtus vitâ, quam auctus truncato capite coronatus & coronandus occubuit.

S. EVARISTUS Papa VI.

Chriſti 112. *Trajani Imper.* 13.

SORTITUS ab utero bonum nomen & optimum * Evariſtus à cunis ipſis incogitans implevit aut ſuperavit ad literam monitum Sapientis, * *curam habe de bono nomine.* Alia ejus felicitas; quod Græcus gente, Judæus ſtirpe, filius Judæ eâdem in urbe natales hauſerit, in qua Chriſtus Dominus, Bethleem. In hoc tamen felicitatis cumulus erat & ſimilitudinis; quod & ipſe ſicuti Chriſtus ex ea *dux exierit, qui regeret populum ejus Iſraël* futurus aliquando Chriſti Vicarius. Conſequutus hoc nomen & illam dignitatem poſt Anacletum. In illo apice ſentiens proventu feliciſſimo & auctam valdè & auctum in

* εὖ *bene.* * ἄριστος *optimus* * *Eccleſiaſt.* 41. 15. *Evariſti Patria.*

Digitized by Google

:s iri rempublicam Chriſtianam; c ad ſynaxes ſolitas ſeu conventus ngregari poſſe gregem dominicum Chriſti cultores intra anguſtias ıius alioquin amplæ baſilicæ, primus *itulos in urbe Roma diviſit presbyeris.* Primus, inquam, erectis hinc c inde Eccleſiis per urbis maximæ egiones præfecit iis & ſpirituali conugio alligavit presbyteros: ut ſub paſtore Catholico, nempe ſub eo, commiſſas ſibi oves ſinguli paſcerent velut privati paſtores. Non contraxit ſe intra Urbem tantum illius vigilantia; proſpexit & Epiſcopis. Recolens illorum eſſe partes & penſum, ut alerent pane verbi divini animas Chriſtianas: *ſeptem diaconos ordinavit*, qui *cuſtodirent Epiſcopum prædicantem propter ſtylum veritatis.* Decrevit ſcilicet, ut qui operantem ſacris Epiſcopum inter miſſarum ſolemnia ſtipabant diaconi, ſtiparent quoque & vallarent illum tamquam adminiſtratorii ſpiritus, dum concionem haberet. Aſſignata illis hæc cuſtodia non ad præſidium vel majeſtatem dumtaxat, ſed propter *ſtylum veritatis*;

Diviſit Titulos

Statutū ejus de 7. diaconis. Libri. Pontificalis verba.

Digitized by Google

id eſt ut eſſent teſtes veritatis, ſuiſque verbis ſuſtentarent eam nutantem velut *Styli* ſeu inconcuſſæ columnæ. Affictæ illi duæ epiſtolæ nihil illius præferunt, niſi nomen. Iis damnat nuptias, quas abſente presbytero & inconſultis parentibus inſtituerent liberi. Fertur prohibuiſſe nè iis locis, qui ritu ſpeciali conſecrati Deo non eſſent, ſacrificium offerretur. Hæc & id genus alia cum geſſiſſet ſapientiſſimè trimeſtri tóto ſupra novennium; non conſumptus martyrio ſed conſummatus * migravit, ubi *omnis conſummationis eſt finis* Hadriani Imperatoris anno ſecundo.

* *Chriſti* 121. *Octobr.* 26.

S. ALEXANDER Papa VII.

Chriſti 121. *Hadrian. Imper.* 2.

Magnum erat & clarũ inter ethnicos & ſæculo Alexandri nomen, ſed nondum cœlo, longèque illuſtrius fecit & majus Alexander Papa, cum

ſanctum. Illſius patria Roma, pater cognominis. Nullum quærebat ſibi regnum, ut Philippi filius; & invenit omnium maximum & ampliſſimum, cum totum orbem; ſortituſque eum, cum Urbem promotus in ejus Cathedram poſt Evariſtum. In ea ſede moribus ſenior, ævo invenis proferebat ſe vel occultabat, cum opus. Secundo Pontificatus anno ſentiens imminere toti gregi periculum ſi ſe imprudenter obtruderet ſævienti tyranno; ſtipatus Chriſtianorum examine, quos informabat ad ſanctitatem, in Catacumbis latuit ſeu cryptis ſubterraneis. Non ſatis illi paſcere ibi ſuas oves & pane cœli divinâ Euchariſtiâ & pane verbi divini; ſollicitus pro Mediolanenſi Eccleſia præfecit ei Calomerum; illucque miſit, poſtquam ordinavit eum in tenebris. In his latebris cum Miſſas ageret, primus inſeruit ſacræ Liturgiæ, & Sacerdotes omnes juſſu illius, iſtam periodum: *Qui pridie quam pateretur, accepit panem in ſanctas ac venerabiles manus ſuas* & reliqua ad uſque verba conſecratoria. Memor è Chriſti mor-

Electio Alexand.

Latebræ.

Mittit Epiſc. Mediolanenſi.

Digitized by Google

tui latere fluxiſſe aquam ſimul & ſanguinem recolendo illi miraculo juſſit, ut vino admiſceretur aqua in Calice. Cumque legeret in Evangelio poſt cœnam Dominicam imperatum Apoſtolis à Chriſto, ut & ipſi *hoc facerent in ejus commemorationem*; ideo, ut habet liber Pontificalis, *paſſionem Domini miſcuit in precatione ſacerdotum*; confirmavit ſcilicet ſuo decreto, quod Chriſtus jam inſtituerat: ut quam ſuis non intuebantur oculis ſacerdotes, repræſentarent ſibi animo paſſionem; verſarentque mente ejus memoriam, quoties facerent. Eliminando dæmoni, qui totus in hoc deſudat, ut occidat corpora & animas mortalium faſcinet ſuis præſtigiis: ſapientiſſimè *conſtituit aquam aſperſionis cum ſale benedici in habitaculis hominum.* Nec certè minus ſollicitus pro animarum ſalute. Ab iis cum abigeret dæmones unâ cum idolorum cultu, inſanierunt in illum Ethnici proceres & ſacerdotes: ubi compererе maximè Senatus florem, Præfectum urbis Hermetem, ejus familiam, omnis ætatis, ſexus & generis homi-

Statuta

Vſum aquæ benedictæ inducit.

Convertit Hermet.

nes, Romam ferme univerſam jam Chriſtianam eſſe. Ebrius Chriſtianorum ſanguine graſſantem in eos tempeſtatem ſuo compeſcuerat reſcripto Hadrianus Auguſtus : idque licet exploratum hauddubiè haberet magiſtratus Romanus, detruſit tamen in carcerem Alexandrum Papam ut deorum hoſtem & Atheum. Ingreſſus paſtor optimus Alexander ſpecum invenit in eo oves & fecit. Ovis Hermes, & inventus ille in vinculis glorioſis jam Expræfectus. Quirinum verò, qui cuſtos erat carceris, ex lupo fecit ovem; cum ex idolorum cultore fecit cultorem Chriſti. Languenti ejus Balbinæ, ſic appellabatur illius filia, reſtituta ſanitas ſalutari contactu cathenarum, quibus reus innocens Alexander ligatus erat, ſalutem dedit Patri Quirino, cum Chriſtianam fidem. Cum autem Balbina hilaris tractaret ſuis manibus & oſcularetur ſuaviſſimè *thaumaturgas* cathenas artifices ſanitatis; illuſtraturus eam S. Pontifex: *deſine*, inquit, *Balbina has oſculari* * *Boias; inquire autem Domini mei Petri Apoſtoli vincula & ea potius*

Incarceratur.

Sanat Balbinam.

* *Torques damna-*

oſculare. Ut moreretur vir dignus immortalitate, collecta in ejus caput tormentorum moles incubuit: ideo præter vincula & compedes equulei, ungulæ, ignes, cruces fermè omnes adhibitæ à tortoribus, ut interimerent. Cumque adhuc duraret poſt tormenta exhauſta, nec poſſet exire nobilis anima uno vulnere; minutis & creberrimis plagis terebratus vel cribratus tandem * interiit Aureliano Judice, cum præfuiſſet Eccleſiæ dies viginti, menſes quinque ſupra decennium.

torum quaſi jugum boum. Iſidor. l. 5. Origin.

** Chriſti 132. Maii 3.*

SANCTUS SIXTUS Papa VIII.

Chriſti 132. *Hadriani Imper.* 13.

SIxto eadem patria, quæ Alexandro; eadẽ & illi dignitas poſt ejus obitum. Superavit Patrem, quod ille vocaretur *Paſtor*; is fuerit; non privati gregis, ſed univerſalis. Talem cum ſe ſentiret; auſus, quod nullus anteceſſorum, curæ univerſalis Eccleſiæ

Sixti titulus

Digitized by Google

fertur maritaſſe primus *Univerſalis* titulum & præfixiſſe literis. Nè vacuum eſſet hoc nomen & titulus ſine re, proſpexit orbi, cum Urbi: ſumptumque initium à re omnium ſanctiſſima & auguſtiſſima ſacrificiò incruento. Quò plebs reverentèr adſtaret; edixit, ut circumfuſa concio populi inchoante Miſſam Sacerdote gereret in terra, quod in Empyreo Seraphin: certatim & piè caneret æternum cœlorum hymnum *Triſagion Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth*. Nè vaſa ſacra calix, patenæ & ejuſmodi ſordeſcerent tactu promiſcuo fierentque contemptibilia, ſi tractare paſſim fas eſſet: ſolis ſacrorum miniſtris indulſit ea tangere, laïcis prorſus negavit. Vetitum mulieribus maximè tractare ſacras pallas ſeu corporalia, quibus in ſacro ſuperimponitur corpus dominicum: nec alio panno ea fieri voluit, quam lineo & puriſſimo ad inſtar ſindonis ſepulchralis. Statuit inſuper, nè evocatus Romam Epiſcopus rediens admitteretur à ſuis; niſi *cum Formatis ſalutationis ad plebem à ſede Apoſtolica.*

Univerſalis

Iubet cantari Triſagion.

Negat laicis tactum ſacrorū

Exigit Formatas.

Cum his ſtatutis ſanctiſſimis ſe Univerſalem probaret & conſuleret univerſo; obibat interim Romæ, quæ decebant bonum paſtorem: ſacra facere, docere, intingere & id genus alia non palam & locis publicis, ſed cryptis arenariis & ſecretioribus. Tinctus & baptizatus cum reliquis, qui Vicariam agebat Præfecturam, Cerealis juſſus ab Hadriano vel thus adolere Jovi vel uri: unâ cum Getulio Chriſtianorum hoſpite & fratre ejus Amantio flammis occubuit. Has oves cum cœlis Sixtus præmiſiſſet, ut primitias; ad paſtorem paſtorum Deum O. M. cum Peregrinum miſiſſet in Gallias, furore magiſtratuum miſſus eſt ipſe tandem ad Chriſtum ſub Antonino Pio. Et hunc ut lucrifaceret, mortem * ſubiit temporalem; quam toto ferme pontificatus decennio anhelaverat & quæſierat ut immortalitatis auſpicium.

* *Chriſti* 142. *April.* 6.

S. TELESPHORUS Papa IX.

Chriſti 142. *Antonini Pii Imper.* 3.

ASsumpti ex hominibus fuerant & à cœtu, quotquot hactenus præfuere Romæ Pontifices: Teleſphori miſeria fuit vel gloria fuiſſe aſſumptum poſt coronatum Sixtum non ex hominibus, ſed ex Angelis: non è turba, ſed ſolitudine. A nulla cura raptus ad omnes, cum ad maximam & Eccleſiarum omnium ſollicitudinem, è parvo & ignoto Anachoreta factus Pontifex maximus. Sacerdos Dei ſummi ut Melchiſedech, fuit ſicut & ille * *ſine patre, ſine matre, ſine genealogia*: nulla ſaltem illius patria proditur neque pater, niſi apud ſcriptores novitios, qui aſſerunt ortum ex patre Anachoreta fuiſſe patriâ Thurienſem in Calabria ſeu Magna Græcia. Quo afflatu Romam venerit & ex eremi latebris ſive modio ſuper candelabrum Eccleſiæ fuerit

Teleſphor. natione Græcus ex Anachoreta. Liber Pontificalis

Hebr. 7.

ſtatuit ſeptem hebdomades quadrageſimæ.

Iubet in ſacro cani hymnũ Angel.

** nonam matutinam.*

Permittit miſſas nocte Nativitatis Domini.

**Chriſti 153. Ian. 5.*

collocatus, altum ſilentium. Pietatem ejus ſpirant, quæ ſanxit inſularum potitus. In honorem quadrageſimariſtis & affixi in cruce Domini ſtatuit; ut hebdomades ſolidas ſeptem jejunaretur à Chriſtianis ante feſtum Paſchale: edixit inſuper, ut cœleſtis hymnus *Gloria in Excelſis Deo* continuò ab ortu Domini decantatus ab Angelis caneretur ante ſacrificium incruentum. Offerre illud non niſi jam altâ luce & poſt horam dumtaxat * Tertiam cum nefas eſſet ex diſciplina ſæculi; indulſit ut in honorem naſcentis Salvatoris ejus die natali *noctu Miſſæ celebrarentur*, tres produnt aliqui: prima eo ipſo inſtanti, quo vagire in ſinu puerperæ Virginis cœperat divinus puer in Bethleem: ſecunda ſub exortum auroræ, quo infantem paſtores ſalutaverant; tertia appetente meridie. Hoſtiam ſalutarem cum mactaret Teleſphorus & manducaret ſæpiſſime; factus & ipſe ſub Antonino Pio Chriſti hoſtia* martyr occubuit; cum ſediſſet annos undecim & adempto triduo menſes novem.

S. HY-

SANCTUS HYGINIUS Papa X.

Chriſti 154. *Antonini Pii Imper.* 15.

QUotquot rexere hactenus clavum Eccleſiæ, fuere omnes Theophili vel Theologi, amantes Dei ſcilicet vel loquentes de illo. Ut & aliquando experiměto perdiſceret S. Eccleſia veritatem dicti veteris; *beatas fore reſpublicas, quas vel philoſophi regerent, vel quarum rectores philoſopharentur*: ſortita tandem Chriſtiana reſpublica ſanctum philoſophum in rectorem; cum promovit clerus Hyginium poſt triumphum Teleſphori. Eadem illi natio, quæ deceſſori, Græcia: patria, quæ ſapientium Athenæ; ars philoſophia; cultus pallium. *Eius genealogiam non inveni*, diſertè ait Liber Pontificalis: invenere tamen eam ſcriptores * quatuor an parum ſagaces, an nimis lyncei, qui imprudenter affingunt illi patrem appellant-

Hyginii gens & patria

* *Platina, Bergomens.*

Onuphr. Ciaconius. que eum *Philoſophum.* Cum in Urbe ſuis mage factis quam verbis doceret vir ſanctiſſimus veram & unicam philoſophiam, amorem nempe Chriſti, qui vera & ipſiſſima eſt ſapientia: venere ad Hyginium patriarchæ hæreticorum duo Marcion Ponticus & Valentinus Ægyptius, quorum primus ſectator erat ſectæ Stoïcæ, alter Platonicæ: venit & Cerdon. Non auſi Romæ ſpargere ſua ſomnia, quamdiu ſanctus philoſophus præfuit ſummus Pontifex: *in Catholicam primò doctrinam* ut ait * Tertullianus, *credidere apud Eccleſiam Romanenſem.* Veriti haud dubiè Hyginii ſapientiam transfigurarunt ſe ad tempus filii tenebrarum in filios lucis; induëruntque ſe veſtimentis ovium Lupi rapaces. Cum præluceret illibatis moribus ſuo gregi; fecit, quod ſapientes ſolent; ordinavit omnia ſapientiſſimè Proſpexit maximè clericis: ideo & *compoſuit clerum & diſtribuit gradus;* id eſt titulis ſeu Eccleſiis addixit diverſos ordines clericorum: qui miniſtrarent presbyteris, quoties neceſſitas id expoſceret. Cumque in his &

Hæreſiarchæ ad Hygin.

* *Lib. de præſcript. c. 30.*

Diſtribuit clericos per Eccleſias.

ſimilibus quadriennium totum dempto biduo tranſegiſſet optimus Pontifex; à gradu inter homines maximo* tranſiit ad ordines Angelorum. An illatâ morte vel ſuâ illuc aſcenderit, fervet controverſia inter doctores & *adhuc ſub judice lis eſt*: colit tamen illum ut martyrem S. Eccleſia.

** Chriſti 158. Ian. 11.*

SANCTUS PIUS Papa XI.

Chriſti 158. *Antonini Pii Imper.* 19.

QUotquot ad hunc diem admoti fuerant gubernaculis Eccleſiæ, fuerant pii, ne dicam piſſimi, ſuis operibus; nemo adhuc nomine: ſubrogatus tandem fuit Hyginio, qui præferebat hoc nomen non tam appellatione Pius quam opere & veritate. Gentilitia ejus regio Italia; Aquileia urbs natalis, Ruffini filius, frater Paſtoris emerſit ad paſtoris ſummi faſtigium. Eminens in eo apice incubuit in hoc præſertim; ut ſub paſtore uno eſſet ovile unum, non ſolùm fide & chari-

Pii patria

Digitized by Google

Imperat celebrari Paſcha die dominico.

tate, ſed diſciplinâ. Edixit hoc conſilio, nè quæ Judaiſaret Eccleſia; Judaico ſcilicet ritu recoleret celebritatem Paſchæ, ſed celebrarent omnes quotannis die Dominicâ. Hunc traditionis Apoſtolicæ canonem ſuo ut firmaret decreto, impulſus etiam fuit monitu angeli; qui paſtoris habitu viſus fratri ejus Hermeti imperaverat velut à Deo; ut annua Paſchæ feſtivitas celebraretur die Dominicâ, quod tali die Chriſtus ſurrexiſſet à mortuis. Sollicitus mirum in modum pro Chriſti ſanguine, non item corpore, ut malè * aliqui, pœnam conſtituit in ſacerdotes, qui vel tantillum effunderent per imprudentiam. *Pœnitentiam*, inquit, *agant* diebus quadraginta, ſi quid in terram ſtillaverit; triduo ſi ſupra altare tantùm; ſi in linteum ſuperius dies quatuor; novem ſi in inferius; ſi aduſque quartum viginti. Ubicumque defluxerit, ſi recipi poteſt lambatur; ſin aliter, aut lavetur aut radatur: quidquid autem lotum fuerit vel eraſum, comburatur & cinis in ſacrarium reponatur. Statuit inſuper; ut ſiqui ex Judæis & illo hæ-

** Platina, Ciaconius.*

Statuit pœnam in preſbyt. negligentes.

Digitized by Google

reticorum grege, qui ritus Judaicos admiſcerent cum Chriſtianis, reſilirent ab hæreſi, rurſum baptizarentur; eò quod formâ baptiſmi diſcreparent ab inſtituto Eccleſiæ. Vindex illius redituum, ut par erat; vetuit, nè addicta clericorum cenſui & divinis uſibus latifundia inſervirent umquam humanis. Privatis interim ſtudebat ejus pietas inter hæc publica: unde & cum comperiſſet Praxedem virginem miræ pulchritudinis & ſanctitatis ferre paulò acerbiùs ſororis Pudentianæ obitum; dolorem ejus fefellit S. Pontifex vel leniit verbis dulciſſimis. Cumque ejuſdem Sanctæ Virginis frater Novatus decumberet morbo graviſſimo; non ægrotum modo adiit Pius, ſed adhæſit & morienti aſſedit indefeſſæ ſtudio charitatis, donec obdormivit in Domino. In illius poſtea Thermis rogatu S. Praxedis dedicavit Eccleſiam; erexit in ea Paſtoris titulum, donis ornavit, baptiſterium ſtruxit: nec in ea tantum obtulit Hoſtiam Salutarem, ſed & baptizavit per-multos in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis. Sic diſtrictus domeſ-

Solatur S. Praxed.

Dicat Eccleſ.

ticis conſulebat remotioribus paſtorarali ſollicitudine: & quia præſens non poterat, luſtrabat orbem & ubique aderat miniſterio literarum. Circumferuntur duæ ab ejus ſtylo & nomine ad Verum & Juſtum Epiſcopos Vienneſes. In prima Corinthum hæreticum execrando epitheto vocat *Primarcham Sathanæ*: exequutuſque in ea candore Chriſtiano, dicatam à ſe in titulum domum Euprepiæ & alia quæ ipſe Romæ geſſerat, petit ſibi viciſſim ſcribi à Vero, ſi quid in Galliis, ſiquem Viennæ proventum faceret, ſiquem feciſſet religio Chriſtiana. Secundâ monet Juſtum provectum in Antiſtitem & ſucceſſorem Veri; ut impleturus miniſterium quod acceperat, curaret reliquias martyrum, viſitaret carceres, martyres probaret, omnes hortaretur ad fidem; ſubdit poſt iſta moriturum ſe brevi. Quod manifeſtante cœlo cognoverat* ſubiit paulò poſt martyrio coronatus ſub Aurelio Vero ſupra trimeſtre triduo minùs perfunctus Pontificatu totum novennium. An autem conſumptus annis obierit in ſenectute bona, an

Scribit Iuſto Vienn.

* *Chriſti 167. Iun. 11.*

ferro; dubium eſt inter ſcriptores: Eccleſia tamen veneratur ut martyrem.

SANCTUS ANICETUS Papa XII.

Chriſti 167. M. Aurelii & L. Veri Imper. 5.

SI quando invictum paſtorem ſortitus à Deo eſt grex dominicus; tunc maximè, cum Anicetum, qui non minùs virtute animi victor & invictus, quam * nomine. Eo ſedente viſus certatim Oriens incumbere in Occidentis ruinam ſimul & in ſalutem. Promovendæ Occidentis ſaluti Romam venerat Anicetus è Syria, quæ natalis: ibique cum vitæ meritis præluxiſſet in clero, factus Pii ſucceſſor dignitatem presbyteri mutavit in Pontificiam. In eo apice ſuum gregem paſcere optimus Pontifex pane cœleſti; dumque divinam illam ſementem ſpargeret in hoc agro; ad Occidentis perniciem venere Romam

* ἀνίκητος *invictus.*

Digitized by Google

vel rediere tres Apoſtoli Sathanæ Marcellina, Valentinus & Marcion, ut ſuperſeminarent zizania. Qui diſtenti erroribus venerant Valentinus & Marcion, induerunt ad tempus perſonam pietatis, idemque ſenſere in ſpeciem, quod Anicetus. Non auſus ad eamdem urbem accedere Montanus è ſua Phrygia, qui ſectatores faſcinabat ibi ſuis præſtigiis & larvâ ſanctitatis ludebat totum orbem; tot milliariis diſſitus impoſuit & ipſi Aniceto: jamque ab eo emunxerat verſipellis hypocrita literas *Pacificas* in teſſeram communionis. Ubi tamen nuntiante Praxeâ reſciit, quam ſtolidè & impiè inſaniret Montanus [qui *Paracleti* titulum ſibi impudentiſſime arrogans jactabat ſe eſſe Spiritum Paracletum, quem miſſurum à cœlo Chriſtus promiſerat] tranſmiſſas jam illi *Formatas* ſeu Commendatitias revocavit continuò. Florebat interim Roma ſub tali duce, jamque Aniceti fama Orientem impleverat, eâque plenus vel illectus Polycarpus Smyrna navigaverat Romam; nec alia illi cauſa tam longinqui iteneris, quam Ec-

Aniceto imponit Montanus.

Polycarpus ad Anicet.

cleſiarum Aſiæ ſchiſma ſive diſſidium atrox de celebritate Paſchali. Tam ſancto & generoſo hoſpiti impenſa ab Aniceto non urbanitatis tantum, ſed charitatis officia & honoris. In eorum colloquiis erupere primò in ſpeciem ſcintillæ aliquæ ſchiſmatis, ſaltem quantum ad verba: provocabat enim alter alterum & hortabatur certatim; Pontifex Polycarpum, ut peragerer Paſcha Occidentalium ritu: Polycarpus ècontra author erat S. Pontifici, ut Orientalium uſu & Aſiæ recoleret illud Lunâ decimâ quartâ, quâcumque die hebdomadis illuceſceret. Neutro vincente, quod lis illa eſſet adhuc ſub judice, ſua in ſententia durarunt ambo. In argumentum amoris Anicetus Polycarpo indulſit ob præſtantiam meritorum non celebrationem Liturgiæ,ut putant perperam aliqui, ſed ut donaretur Euchariſtia * contra cancellos Eccleſiæ; cum antea peregrinis Epiſcopis mitteretur domum ex uſu; ne viderentur alieni à communione. Unanimes quantum ad reliqua, diſpares tantum quoad hunc ritum divulſere ſe ab invicem illi

Lis Anicet. inter & Polyc. de Paſcha.

Euchar. data Polyc. intra Eccleſ.

**Marca l. 5. c. 2. §. 6. de Concord.*

ſancti illæſà caritate & pace. Priuſquam tamen Polycarpus reverteretur ad ſuos; obvio Marcioni & impudenter percontanti ab illo, *cognoſcis nos? cognoſco*, inquit; *cognoſco Primogenitum Satanæ.* Venit quoque per eos dies ad Anicetum nobilis ſcriptor Hegeſippus, qui teſte Hieronymo *, *omnes à paſſione Domini ad ſuam uſque ætatem Eccleſiaſticorum actuum texens hiſtorias, multaque ad utilitatem legentium hinc & inde congregans quinque libros compoſuit ſermone ſimplici: ut quorum vitam ſectabatur, dicendi quoque exprimeret caracterem.* Colloquia illi hauddubiè fuere crebra, ſi non quotidiana, cum Aniceto. Studere ille interim ſuis ovibus & vigilare ſeriò; nè quis Lupus invideret. Præcpua illi cura circa clericos: & hos ut ad modeſtiam fingeret doceretque abdicare ſuperflua & quæ plerumque effaſcinant animas; ſanxit quam ſapienter [quod lugendo contemptu canonum & lamentabili ſcandalo exolevit paſſim iſtâ ætate] ne cujuſcumque ordinis *clerici comam alerent.* Affinguntur illi alia id

*. *L. de Scriptor Eccleſ.*

Vetat comam Clericis Anicetus.

genus decreta parum veroſimiliter. Toto penè octennio minùs diebus ſeptem & tribus menſibus, quo præfuit, conſequutus plures victorias de idololatria; virum ſui nominis id eſt *Anicetum* ſeu invictum verè ſe exhibuit, cum exantlavit pœnas * martyrii ſub Marco Aurelio Antonino.

* *Chriſti 175. April. 17.*

SANCTUS SOTER Papa XIII.

Chriſti 175. M. Aurelii Imper. 13.

SUCCESSORUM Petri prærogativa ſit obire vices Jeſu in terris; privilegium Soteris fuit & obire vices illius & * græcum ejus nomen præferre. E patris Concordii laribus & Fundis natali urbe Campaniæ cum radiaret ſanctiſſimis moribus inter Romanos Clericos; ſuffectus Aniceto factus eſt ſuo modo *Soter*, id eſt Salvator Chriſtianorum, cum Eccleſiæ univerſalis Paſtor. Nullus implevit excellentius iſtum titulum: nec enim

* σωτὴρ *Salvator.*

Soteris Charitas erga pauperes.

contracta tantùm fuit intra unius urbis anguſtias paſtoralis illius cura; effudit ſe velut flumen ampliſſimum in plagas remotiores Græciam & Orientem: & has adibat Soter non modo paræneticis literis, quibus hortabatur ad pietatem; ſed & juvabat pecuniarum ſubſidio præbebatque panem corporibus. Illius charitatis teſtes Dyoniſii Chorintiorum Epiſcopi literæ ad Romanos: in quibus poſt laudatam Romanæ urbis piam & chriſtianam conſuetudinem in mittendis eleemoſynarum ſubſidiis de liberalitate ſancti Pontificis hæc adjungit ad calcem: * *Hanc quidem certè B. Soter veſter Epiſcopus & hactenus cuſtodivit diligenter, & mirum in modum ſuo propenſo ſtudio adauxit: idque non modo opes ad ſanctos reficiendos delegatas benignè ſubminiſtrando; verùm etiam fratres ad ipſum adventantes, tamquam pater indulgens & clemens in liberos, beato ac pio ſermone ad virtutem cohortando.* Qui nummorum & terrenarum opum tam ſanctè erat prodigus erga omnes pauperes indigenas & ad-

* *Euſeb. l. 4. hiſ. c. 23.*

venas; mirum in modum religioſus erat & parciſſimus circa res ſacras & miniſteria Eccleſiæ. Ut conſuleret rebus ſacris edixit, *ne diaconiſſæ tangerent ſacras pallas*: ſubmovit eas inſuper ab altari, cum ſpeciali decreto vetuit, nè in Eccleſia *adolerent incenſum*. His legibus addidit tertiam & ſanctiſſimam omnium; quâ imperans ut Chriſti corpus ſumeretur ab omnibus in Cœna Domini ſalutari temperamento condiens illud pietatis decretum ſubmotos piè & ſapientiſſimè voluit à perceptione diviniſſimi ſacramenti, *quotquot propter grave peccatum id facere prohiberentur*. Audiant ſtulti & ſtolidi Confeſſarii, qui calcantes vocem dominicam, *non eſt bonum ſumere panem filiorum & mittere canibus*, & *nolite dare Sanctum canibus neque mittatis margaritas ante porcos*: *diſſipatores* myſteriorum Dei magis quam *diſpenſatores* nullo delectu perſonarum abſolvunt indifferenter peccatorum monſtra non hominum, canes, porcos & projectæ libidinis victimas, homines omnium criminum, omnium flagitiorum; ip-

Excludit peccatores ab Euchariſt. in Cœna Domini.

Digitized by Google

ſiſque inſuper non *dijudicantes corpus Domini* ſacrilegè porrigunt filiorum panem & Angelorum. Meminerint ſaltein diſpenſatores tam perfidi circa captivos miſerrimos iteratorum per totam vitam criminum manicis & compedibus alligatos feſto Paſchali ſervandum ſibi ad minùs ; quod Valentinianus II. Imperator de vinctis eâdem relaxandis feſtivitate edixit : *Exequantur Judices, quod indulgere conſuevimus. Ubi primum dies Paſchalis extiterit, nullum teneat carcer incluſum, omnium vincula ſolvantur.* Subjungens tamen quibus denegari velit libertatis iſtam faventiam tamquam indignis; *Sed ab his*, ait, *ſecernimus eos, quibus contaminari potius gaudia lætitiamque communem, ſi dimittantur, advertimus. Quis enim ſacrilego diebus ſanctis indulgeat? Quis adultero vel inceſti reo tẽpore caſtitatis ignoſcat? Quis non raptorem in ſumma quiete & gaudio communi perſequatur inſtantius? Nullam accipiat requiem vinculorum, qui quieſcere ſepultos quâdam ſceleris immanitate non ſivit. Patiatur tormenta veneſi-*

L. 8. de indulgent. crim. Cod. Theod.

cus adulteratorque monetæ. Homicida, quod fecit, ſemper expectet. Reus etiam majeſtatis de domino, adverſus quem talia molitus eſt, veniam ſperet. Qui non expendunt in his ſatis attentè verba Chriſti Domini: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt:* legem illam ſapientiſſimi Principis expendant ſaltem dilapidatores corporis & ſanguinis dominici Confeſſores & erubeſcant, *quod filii hujus ſæculi prudentiores filiis in generatione ſua ſunt.* Fertur præterea Soter inſtituiſſe; ne quis ſacerdos ſacra faceret niſi jejunus, & operante presbyterò duo ad minus intereſſent in Oratorio. Merebatur præmium legiſlator ille ſanctiſſimus ob illibatos mores, quibus nitebat; & ſtatuta ſapientiſſima, quibus ornavit Eccleſiam: * aſſequutuſque illud ſub Aurelio Vero; cum annis fermè quatuor minùs diebus duodecim gubernaſſet piè gregem dominicum. Sunt qui velint extitiſſe eum martyrem ſanguine; ſunt qui prodant voluntate dumtaxat.

Ioan. 20. 23.

**Chriſti* 179. *April.* 22.

S ELEUTHERUS Papa XIV.

Chriſti 179. *M. Aurelii Imper.* 17.

* ἐλευ-τέρος. *Liber.*

LIBERTATEM, quâ Romæ fruebatur ſuoque præferebat nomine * Eleutherus Nicopoli natus in Græcia, amiſit; cum ſuffragiis Romanorũ Soteri ſubrogatus ſubiit maximam omnium ſervitutem, cum maximam omnium dignitatẽ. Iſtius jugi vix amaritiẽ ſenſerat, cum ecce condierunt eam continuò dulciſſimis literis martyres Lugdunenſes, qui novo Pontifici ſcripſere eas è vinculis: nec aliâ causâ quam ut rogarent eum calentiſſimis precibus ſuæ ſolicitudinis plenitudine reddere Eccleſiis pacis ſerenitatem; quam fœdabant ſectatores Montani. Harum literarum bajulus ſimul & legatus ſanctorum martyrum Irenæus tunc Lugdunenſium presbyter, haud multò poſt eorum Epiſcopus poſt Photinum exceptus ab Eleuthero fuit humaniſſimè, ut par erat. Invigilabat in-

Litteræ martyr. Lugdun.

terim ille;ne quis inter oves ſibi commiſſas deliteſceret Lupus in veſtimentis ovium: cumque ſagacitate ſuæ prudentiæ comperiſſet latere duos Romæ eo habitu pietatis Marcionem & Valentinum, ejecit eos in perpetuum ab Eccleſiâ;ubi maximè intellexit ſuis eos ſermonibus deludere animas ſimplices, nihilque habere chriſtianitatis niſi nomen ſine operibus. Ex illorum grege, quos furtim Valentinus deceperat ſuis colloquiis, inſigniores erant Blaſtus & Florinus; & hos ubi ſenſit Eleutherius ſentire quæ hi● hæreſiarcha; abdicavit ſtatim amovitque gradu presbyterii, quo eminebant; Sic Romæ effloreſcebat mirum in modũ Chriſtiana religio, magnuſque erat in dies proventus fidelium utriuſque fortũnæ: nec Romæ ſolùm, ſed & in diviſa toto orbe Britannia; raptaque occaſio à Chriſtianorum miraculis. Ea enim cum rumore publico explorata haberet Lucius Rex Anglorum; ſimulque factus eſſet certior complures Cõſulares & Senatorii ordinis ſuſcepiſſe Chriſti religionem; nec non & Marcum Imperatorem favere Chriſ-

ad Eleuth.

Marcion. & Valentin. ejicit.

Legati Luciiad Eleuth. tianis ob impetratam eorum precibus victoriam, divinâ perfuſus luce legationem miſit Eleuthero tamquam Paſtori univerſalis Eccleſiæ. Electi ab eo ad id muneris duo proceres Elüanus & Medüinus rogarunt ſanctum Papam ejus nomine; ut dignaretur incunctanter mittere operarios, qui colerent illam vineam eamque illuſtrarent radiis veritatis. Miſſi continuò, qui virtutum ſplendore & zelo præcellebant, Fugatius & Donatianus deterſo idololatriæ lolio ſparſere ſementem Evangelicam; cumque illuceſcerent veluti ſoles iis, qui ſedebant in tenebris & umbra mortis, Regem ipſum & illius uxorem unà cum infinita multitudine populi ſacris initiarunt myſteriis. *Prohibet abſtinent. à cibis.* Audiens Eleutherius eſſe ex cibis nonnullos, quos afflatu dæmonum Encratitæ reſpuerent; occurſurus hæreſi, quæ graſſabatur, ſtatuit, ne fideles per ſuperſtitionem ab ullo abſtinerent cibi genere, quo humanum genus veſceretur ex uſu. Miro interim perfundebatur gaudio Eleutheri anima ex incremento pietatis & fidei: numquam tamen ſenſit lætitiæ

Digitized by Google

cumulum; quam cum liberata carcere corporis poſt regiminis annos quindecim, dies viginti tres **intravit in gaudium Domini ſui.* An gladio vitam clauſerit nec nè, myſterium eſt.

* *Chriſti 194. Maii 26.*

SANCTUS VICTOR Papa XV.

Chriſti 194. Commodi Imperat. 13.

NULLUM adhuc paſtorem Romanæ ſedi dederant tranſmarinæ occidentis Eccleſiæ; dedit tandem Affrica; cum mortuo Eleutherio Romani ſuffecere Victorem Felicis filium. Ex illa cathedra veritatis & pacis prima illius pugna fuit ſimul & victoria de Theodoto Byzantino; qui arte viliſſimâ coriarius multæ tamē doctrinæ blaſphemo ore Chriſtum Dominum divinitate expolians docebat eſſe illum & extitiſſe hominem purum. Nè gregem inficeret, ſcabioſam illam ovem Victor incunctanter depulit ab Eccleſia. Sentiens quam

Victor pellit ab Eccleſ. Theodotum.

Digitized by Google

luctuoſo dividerentur ſchiſmate Occidentis & Orientis Eccleſiæ circa celebrationem feſti Paſchalis; ab Oriente recoli more Judaico, ab Occidente ex traditione Apoſtolorum die Dominicâ & Lunâ decimâ quartâ poſt Æquinoctium vernum, deſudavit quam-maximè potuit & totâ ſollicitudine officii paſtoralis; ut diſcordes circa hunc diſciplinæ articulum concordes fierent Oriens & Occidens. Hoc conſilio convocatæ juſſu Victoris quum Oriente quum Occidente variæ ſynodi [Pontica ſub Palma, Palæſtinenſis ſub Theophylo, Corinthiaca ſub Bacchyllo, Gallicana ſub Irenæo; Oſrhoëna ſub neſcio quo Antiſtite, Romana denique ſeu Itala ſub Victore] eodem ſpiritu Domini decrevere unanimes, non alio die celebratum iri myſterium Reſurrectionis Dominicæ, quam Dominico; profectum ab Apoſtolis iſtum morem ſervandum eſſe ab omnibus, idque per epiſtolas univerſis fidelibus ſignificarunt: Victor imprimis, qui rem urgebat, qui & privatis ad Polycratem Epheſinum literis manda-

Sollicitus pro uniformitate feſti Paſch.

Cogit ſynodos eo conſilio.

vit; ut collecto Epiſcoporum Aſiæ concilio ſuas literas & ſimul definitionem ſynodi Romanæ de die celebrationis feſti Paſchalis in exemplum recitaret coram conſeſſu; interminatus illi anathema, ſi ſecus faceret. Obſequutus Papæ Polycrates congregavit ſynodum Aſiaticam; ut ſuo ad Victorem reſponſo teſtatur ipſe his verbis: * *Poſſem etiam Epiſcoporum, qui mecum ſunt facere mentionem, quos petiiſtis, ut convocarem, ſicut & feci.* Aſpernata ea ſynodus reliquarum ſententiam ſpecioſo quodam vetuſtæ traditionis prætextu una & ſola cenſuit contra omnes, obſervandum eſſe, quod obſervaverant jam ab ovo; Lunâ ſcilicet decimâ quartâ, inquemcumque ſeptimanæ diem incideret, celebrandum, eſſe feſtum Paſchale: ſuâque continuò epiſtolâ ad Victorem certiorem illum fecit Polycrates hujus decreti.

Scribit ad Polycrat.

* *Euſeb. l. hiſt. v. c. 24. ex verſ. Henr. Valeſii*

§. I.

Ne autem putaretur ipſe aut alii ſic cenſuiſſe gratis & ex pertinacia ſeu

Literæ Poly-crat. ad Victor.

animo contradicendi, ab ipſo limine ducit exordium in hunc modum: *Nos verum ac genuinum agimus diem nec addentes quicquam nec detrahentes* : ſubiungit deinde exemplum *magnorum*, ut vocat, *Aſiæ luminum* Joannis Apoſtoli, Philippi diaconi, Polycarpi, Thraſeæ & aliorum perilluſtrium magno numero; qui ab Eccleſia condita propagatione per manus traditâ id mordicus cuſtodierant in Aſia Minore: *Hi omnes*, inquit, *diem Paſchæ quartâ decimâ Lunâ juxta Evangelium obſervarunt nihil omnino variantes, ſed regulam fidei conſtanter ſequentes*. Addit poſtea intrepidè certum ſe licet minimum imitari exempla tam inſignia; nullas minas aut ſupplicia poſſe terrorem incutere ei, qui ſciret magis quam hominibus obtemperandum Deo eſſe: *Nihil moveor*, ait, *iis quæ nobis ad formidinem intentantur. Mei enim majores dixerunt, obedire oportet Deo magis, quam hominibus*. Ex his robuſtiſſimis literis ſubodoratus Victor nullam ſublucere ſp[illegible], ut reſipiſcerent Aſiatici; tenta-

vit illicò omnes Aſiæ Eccleſias ſegregare à communione, datiſque literis eas ſegregavit reipſa. Utrumque enim prodit diſertè Euſebius ſecum pugnans: *His ita*, inquit, *geſtis Victor Romanæ urbis Epiſcopus illico omnes Aſiæ vicinarumque provinciarum Eccleſias tamquam contraria rectæ fidei ſentientes à communione abſcindere conatur*: his verbis ſubnectit iſta proximè; *datiſque literis univerſos qui illic erant fratres proſcribit & ab unitate Eccleſiæ prorſus alienos eſſe pronunciat*. Territi ad hoc fulmen Epiſcopi hortati Victorem ſunt certatim; ut ſentiret potius, quæ congruebant paci & unitati. Intercesſit maximè omnium Irenæus pro tot Eccleſiis Victoremque admonuit * *ut decebat*; non ut falsò vertit Ruffinus, *arguit quod non rectè feciſſet*; monuit inquam, nè ob conſuetudinem particularem totas Dei Eccleſias à communione * *abſcinderet*. Utque illum validè invitaret ad pacem, adduxit exempla Pontificum Romanorum Sixti, Teleſphori, Hyginii & Pii, qui diſſentientibus ab il-

Victor excommunicat Aſiaticos.

* προσηκόντως. *Congruenter.*

* ἀποκόπτοι.

Monetur Victor ab Irenæo

lorum uſu aliarum Eccleſiarum Epiſcopis Romam venientibus Euchariſtiam tranſmittebant, ut teſſeram communionis & ſymbolum amicitiæ. Poſtremò addidit factum egregium Aniceti; qui erga Polycarpum Judaïſantem circa celebritatem Paſchæ, conantemque perſuadere illi, ut & ipſe celebraret Romæ eam hoc ritu; tam indulgentem ſe præbuit, ut offerendæ vel percipiendæ intra Eccleſiam Euchariſtiæ veniam ei concesſerit. Quid poſt acceptam ejuſmodi epiſtolam erga Polycratem & Aſianos Antiſtites geſſerit Victor, nè quidem verbum Euſebius. Emolliere animam Victoris hæc Irenæi monita; feceruntque ſuaviſſimè, ut Polycrati & ſectatoribus Aſiaticis, quos communione privaverat, reſtitueret pacem & unionem retento ſuarum Eccleſiarum uſu: idque teſtatur diſertè * Sozomenus, cum ait; *Sapientiſſimè arbitror diſolviſſe ſubortam de eo*, id eſt de diſcrepantia circa feſtivitatem Paſchæ, *controverſiam Victorem tunc temporis Romæ Epiſcopum & Polycarpum Smyrnenſem*. Optimè quadrat hiſtoria,

Recipit in gratiam Aſiaticos.

Marca l. 3. c. 9. §. 4.

* *L. 7. c. 16.*

ria, modo pro Polycarpi nomine, quod irrepſit, ſubrogetur nomen Polycratis.

§. II.

Utut ſit ſive Victor reipsâ anathemate perculerit Aſiaticos, ut nonnullorum opinio eſt haud improbabilis; ſive interminatus tantum excommunicationem temperaverit hortatu ſupplicum Epiſcoporū, Irenæi præſertim: certiſſimum omnino eſt ſcripſiſſe eum piè & eruditè quædam opuſcula, inter quæ unum de quæſtione Paſchæ; in quo multis probabat celebrandum ab omnibus & eodem die & Dominico; ſic decère nè quem ritum haberet Eccleſia Dei communem cum Judaiſmo & Synagoga; ideo ſtatutum quam-ſapienter à Pio deceſſore, ut recoleretur die dominicâ; nihil fœdius eſſe, quam ſi inter ejuſdem Chriſti cultores alii eſſent ebrii eâdem die, alteri eſurirent; quidam ſcilicet macerarent ſe jejuniis expectantes celebritatem Paſchæ, aliqui verò jam peragentes illam indulgerent conviviis. Hæc & id genus alia com-

Opuſculum Victoris de Paſcha.

plura inſeruit Victor in idem argumentum. Nihil ſapientius ſtatuit pro animarum ſalute: quam cum audiens eſſe nonnullos, qui detrectabant catechumenos intingere alio loco quam ſacro; edixit; quotieſcumque id imperaret neceſſitas, nullâ loci ratione habitâ paganis quibuſcumque conferretur ſacramentum ſummopere neceſſarium, dummodo ederent confeſſionem fidei. *Conſtituit*, ait liber Pontificalis, *ut neceſſitate faciente ubicumque inventus fuiſſet quicumque hominum ex Gentilibus veniens; ſive in flumine, ſive in mari, ſive in fonte, ſive in ſtagno baptizaretur: tantummodo Chriſtianæ credulitatis confeſſione declaratâ integer efficeretur Chriſtianus*.. Peroptabat & ipſe interim baptizari, ſed alio prorſus baptiſmo nempe ſanguinis; ut ex ſui auſpicio nominis fieret compos victoriæ: conſequutus illam * cum mortem gubernatâ ſanctè & ſtrenuè per annos novem, menſem unum, dies viginti octo univerſali Eccleſiâ. Memor præcepti Apoſtolici *nemini citò manus impoſueris*, toto illo tempore

Præcipit dari baptiſmum ubicumque.

** Chriſti* 203. *Iul.* 28.

ordinationes inſtituit duas dumtaxat menſe Decembri; quibus parcè admodum & ſapienter creavit ſeptem diaconos, presbyteros quatuor & Epiſcopos per diverſa loca duodecim. *Ordinat miniſtros Eccleſiæ.*

S. ZEPHYRINUS Papa XVI.

Chriſti 203. Severi Imper. 9.

PERTURBATAM tantiſper Quarta-decimanorum & Polycratis pervicaciâ ſerenitatem Eccleſiæ ſuâ reſtituit aurâ Zephyrinus Victori datus ſucceſſor poſt dies undecim ab ejus morte. Sanctiſſimo illi Papæ genius idem, qui Zephyro ſicut & nomen: benignitas præſertim; eamque commendavit egregiè erga illos, qui in graviora lapſi flagitia ſincerè reſcipiſcerent & ex animo. Ejuſmodi erat Natalius ſeu Natalis confeſſor; qui cum à Chriſtiana fide abreptus Aſclepiodoti & Theodoti verbis blandiſſimis ſe permiſiſſet creari Theodotianorum *Benignitas Zephyrini.* *Euſeb. l. 5. hiſt. c. 28.*

Digitized by Google

Epiſcopum ea conditione: ut in mercedem menſtruos centum quinquaginta denarios ei dependerent; revocatus à Deo fuit in Eccleſiæ ſinum, unde diſceſſerat. Correptus ſæpe ideo fuit inſomnis, oblatæque illi nocturnæ viſiones eo conſilio: cumque eas rideret Natalis velut phantaſmata dormientium, immiſſis tandem Angelis flagellatus fuit graviſſimè per totam noctem. Excitatus & eruditus tam ſplendidè tactus dolore cordis intrinſecus, conſperſus cinere, feralem præferens pœnitentium ſuppellectilem cilicium & ſaccum, inexpectato diluculo rectâ ad Zephyrinum ſe incunctanter proripuit. Advolutus ibi ad ejus pedes poſt preces calentiſſimas & exhibitas toto corpore luculentas vibices reſtitutus tandem ab eo fuit communioni fidelium. Nec ſolum ſincerè pœnitentes ſolitus excipere paternâ benignitate, ſi quando ultro redirent: Montanum ut retunderet, qui jactabat lapſis non patere ad pœnitentiam aditum; dignatus quoque fuit ad eam invitare mœchos & fornicantes affixo locis publicis

Natalium abſolvit

Iubet recipi adulteros.

edicto peremptorio in hæc verba, quæ in his uſurpare mos erat: *Pontifex Maximus, Epiſcopus Epiſcoporum, Ego & mœchiæ & fornicationis delicta pœnitentiâ functis dimitto.* Acceptiſſima omnibus hæc benigniſſimi Pontificis indulgentia provocavit iram & ſtylum Tertulliani: ideo & haud multò poſt impos animi & lymphaticus ex abrupto in hæc exarſit adverſus Papam ſanctiſſimum: * *Audio etiam edictum eſſe propoſitum & quidem peremptorium. Pontifex ſcilicet Maximus Epiſcopus Epiſcoporum dixit. Ego & mœchiæ & fornicationis delicta pœnitentiâ functis dimitto.* Infrendens poſt-modum verbis atrocibus debacchatur in hanc lenitatem Pontificis. *O edictum cui adſcribi non poterit bonum factum! Et ubi proponetur liberalitas iſta? .... Illic legenda eſt venia; quò cum ſpe ejus intrabitur. Sed hoc in Eccleſia legitur, in Eccleſia pronuntiatur, & virgo eſt. Abſit abſit à ſponſa Chriſti tale præconium. Illa quæ vera eſt, quæ pudica, quæ ſancta, carebit etiam aurium maculâ.* Converſo demum ſermone

Furor Tertull. in Zephyrin.
** c. 1. de Pudicit.*

ad Zephyrinum irriſoriè eum aggreditur in hunc modum : * *Et tu quidem pœnitentiam mœchi ad exorandam fraternitatem in Eccleſiam inducens conciliciatum & concineratum, cum dedecore & horrore compoſitum proſternens in medium ante viduas, ante presbyteros, omnium lachrymas ſuadentem, omnium veſtigia lambentem, omnium genua detinentem; inque eum hominis exitum quantis potes miſericordiæ illecebris bonus Paſtor & Benedictus Papa concionaris & in parabola ovis capras tuas quæris, tua ovis ne rurſus de grege exiliat; quaſi non exinde jam liceat, quod nec ſemel licuit; cæteras etiam metu comples, cum maximè indulgens.*

* c. 13. Ritus veteris Exomologeſis.

Tertull. Ironia in Zephyr.

§. I.

Qui paterna benignitate provocabat peccatores errantes, ſuſcipiebatque tam indulgenter intra Eccleſiam quotquot reſipiſcebant ex animo: durus idem omnino erat Zephyrinus in pervicaces, qui durabant in hæreſi. Hos tamen ut ad veritatem re-

Digitized by Google

duceret, admovere ſolitus omnes machinas charitatis; admota interdum & diſputatio, ſi quando opus, ut obstinatos revinceret, adverſus Proclum præſertim; qui ſic eminebat inter Montani diſcipulos, ut peculiarem inſtauraverit Montaniſtarum ſectam ſuo appellatam nomine *Katà Proclum.* Ut in eo velut in capite vinceretur grex fœdiſſimus; celebrem diſputationem Romæ adverſus eum iniit vir ſpectatiſſimæ vitæ & eruditionis Gajus præſente Zephyrino & approbante. Gaio fatum idem in hoc duello ſanctiſſimo, quod & David; quia & cauſa eadem: Proclo verò idem exitus, qui & Goliath; eadem & mors, ſi non corporis ſaltem animæ. Convictum enim & non converſum unà cum ſectatoribus Montani eliminavit è cœtu familiæ Chriſtianæ: obtritus iiſdem diris, qui propugnabat eaſdem hæreſes, Tertullianus. Excitati Zephyrini literis vel exemplo fecere idem in Montaniſtas & alii Epiſcopi collectis ea de rè conciliis per univerſas provincias. Idque Tertullianus innuit cum ſtomacho & ſub obſcurè his

Iubet haberi diſputat adverſus Proclum.

Excommunicat Proclũ & Tertull.

* L. de Jejun. c. 1.

verbis* *Novitatem objectant, de cujus illicito præſcribant; aut hæreſin iudicandam, ſi humana præſumptio eſt: aut pſeudoprophetiam pronuntiandam, ſi ſpiritualis indictio eſt, dum quaquâ ex parte anathema audiamus, qui aliter annuntiamus.* Hæc cum intrepidè gereret in novam illam hæreſim & defenſores illius; ſtatuebat interim ſanctus Pontifex, quæ conducebant ad decorem Eccleſiæ & altaris ornatum. Sunt qui velint, & in hoc ſuffragatur torrens ſcriptorum, abrogaſſe illum eo conſilio calices ligneos & alios id genus ex viliori materiâ, qui ex uſu adhibebantur ſacris; in eorumque vicem ſubrogaſſe vitreos & pellucentes inſtar criſtalli. Patenas quidem vitreas inſtituiſſe illum habet diſertè liber Pontificalis; de calicibus quidem nec verbum. *Hic fecit*, inquit, *conſtitutum de Eccleſia; ut patenas vitreas miniſtri ante Sacerdotes portarent, dum Epiſcopus Miſſam celebraret.* Produnt aliqui edixiſſe eum, ut operanti ſacris Epiſcopo intereſſent omnes presbiteri: nec non ut Chriſtiani

Non induxit Calices vitreos.

Bona l. 1. Rerũ liturg. c. 25.

Digitized by Google

omnes pubertatis annos tranſgreſſi quot-annis recurrente feſto Paſchali divinam perciperent Euchariſtiam. Sollicitus maximè circa miniſtros Eccleſiæ ſanxit, ut numquam ordinarentur niſi opportuno tempore præſentibus clericis & laicis ad teſtimonium, doctique tantum & inculpatæ vitæ deligerentur homines ad id officii. Ingreſſum Romam Origenem, ut Eccleſiam omnium antiquiſſimam coram videret, omnibus ornaſſe officiis Zephyrinum colligimus pluſquam veroſimiliter ex præſtantia ſingulari venientis perſonæ & humanitate ſuſcipientis. Hæc & alia inſigniora geſſit per annos octodecim, dies totidē; quibus Eccleſiæ præfuit: & hæc dum pace frueretur ſub Elagabo obdormiſcens in pace Zephyrinus * migravit; ubi æternitatis Zephyrus Spiritus Sanctus ſuaviſſimè ſpirat & in æternum.

ſtatutū Zephyr.

Excipit Origenē Euſeb. l. 5. c. 14.

* *Chriſti 221. Auguſt. 26.*

S. CALLISTUS Papa XVII.

Chriſti 221. Elagabali Imper. 2.

BONUM omen, ut vulgò dicitur, pulchrum nomen. Pulcherrimum ſortitus * Calliſtus à Domitio patre pulcherrimis meruit moribus fieri Epiſcopus ſuæ patriæ Romæ & Zephyrini ſucceſſor. Prima illius cura extitit; ut amaretur mater pulchræ dilectionis & coleretur Deipara; extructa hoc conſilio in illius honorem ſacra ædicula eò loci; unde haud multò ante natales Chriſti ſcaturierat oleum magnâ copiâ. Hujus ædis nomen *S. Mariæ tranſtyberim.* In ea ſolitus obire, quæ decebant Pontificem, dabat ſalutem omnibus; ſanitatem nonnullis. Utrumque dedit Privato: ejus enim caro cum magnis & purulentis ulceribus hiaret ad horrorem; ſalutari manu palpatam curavit eam ſtatim Calliſtus citra ſubſidiũ medicinæ, ſimulque martyrem fecit.

* καλλιςτος *pulcherrimus*

Calliſtus erigit ædiculam in honorem Deiparæ.

Sanat Privatum.

Progreſſus ab hac victoria ad longè illuſtriores genuit per Evangelium familias nobiles cum vernis & mancipiis omnis ſexus; datumque omnibus quam optabant, ſubire mortem pro Chriſto. Dum & ipſe optaret eam & quæreret: virum magnæ prudentiæ & ſanctitatis probè ſibi notum S. Hippolytum jam Epiſcopum in Arabia plenitudine poteſtatis è ſua ſede tranſtulit ad Portuenſem; nec alio conſilio, quam ut ſanctiſſimis ejus conſiliis uteretur ad bonum univerſalis Eccleſiæ. Cum ferveret gula inter Ethnicos maximè ſub Elagabalo; ſtatuit ſapientiſſimè; ut ex traditione Apoſtolica jejunaretur * quater quotannis à Chriſtianis vel ad vectigal obtentæ miſericordiæ à Deo, vel ad obtinendæ illicium. Si qui interim ferro caderent ex Chriſtianis, mandabat eos ipſemet terræ velut Tobias ſuæ ætatis: impenſum ab illo iſtud pietatis officium pretioſis cineribus S. Martyris Calepodii; truncum enim illius corpus tractum unco per compita civitatis cum projectum in Tyberim ad piſcium epulas enataſſet, ſepe-

Transfert S. Hypolitum è ſua ſede.

** Malè ter in libr. Pontif.*

Statuit 4. tempora.

Sepelit mortuos.

livit ſanctiſſimus Pontifex. Non contentus indulgere mortuis ſolatium ſepulturæ; morituris proſpexit; cum funerandis defunctorum oſſibus Viâ Appiâ inſtauravit cœmeterium vel amphiavit vetus, quod etiamnum ab eo nuncupatur Calliſti. Collegit in eo ſanctorum greges & legiones martyrum ſine numero. Digna erat præmio tanta pietas: nec datum aliud, quam carcer fœtidiſſimus & duriſſimæ compedes velut furcifero. Detentus diu in his ſordibus innocentiſſimus Pontifex habens inediam pro omni cibo ſaginabatur ſolo pane anguſtiæ & aquâ tribulationis. Veluti lixæ & perſonæ viliſſimæ inflicti illi quotidie fuſtes fermè ad mortē: & in hac carnificina ſemper ille invictus & durare in dies. Cum ergo aquæ illæ multæ non extinguerent illius charitatem, nec tormentorum flumina obruerent flammam, quâ æſtuabat ejus anima; è feneſtra carceris prono capite dejecere cum tortores in adjacentem carceri puteum; ut ſi quæ ſcintilla ſupereſſet in pectore, aqua extingueretur. In his tamen anguſtiis non interiit charitatis incendium;

Ampliat cœmeter.

Incarceratur.

Præcipitatur in puteum.

quo per annos quinque, menſem unum, dies duodecim ſuum gregem aduſſerat S. Papa: imo, ut Marinus ignis, factus ardentior in hoc * oſtendit puteo *puteum aquarum viventium* vel *fontem aquæ ſalientis in vitam æternam*.

* *Chriſti 226. Octobr. 14.*

S. URBANUS Papa XVIII.

Chriſti 226. Alexandri Imper. 3.

URBANI patria Roma fecit ſe in Domino filii ſui filiam; cum demerſo Calliſto Urbanum Pontiani filium promovit in patrem Chriſtianorum omnium & paſtorem. Quâ paſtor invigilavit puſillo gregi, auxit ut pater multo proventu & illæſâ virginitate filios genuit per Evangelium. Primogenitos omnium vel clariſſimos velut gemellos fudit uno puerperio fratres duos Valerianum & Tiburtium: generationis tam caſtæ non alia cauſa extitit vel occaſio, quam ruina & ſcopulus virginitatis conju-

Urbanus convertit Valerianum

gium, quod peperit religioni hos duos adoleſcentes. Res ſic ſe habuit. Cæciliam duxerat Valerianus virginem multi leporis, ſed majoris virtutis; votum illius unicum, ut per eam pater fieret & fermè erat; ex marito tamen & propemodum patre mutavit illum Cæcilia in fratrem. Ab ea enim ubi audiit adeſſe illi ab utero cuſtodem & amatorem virginitatis Angelum, nec libari poſſe oculis niſi hominis baptizati; author illi fuit ut tingendus volaret continuò ad Urbanum, qui latebat in cryptis. Nè donaretur ſolus hoc privilegio, ſolus inquam Valerianus contemplaretur Angelum; intinctus ab eodem S. Pontifice, poſt illum tamen, frater ejus Tiburtius vidit etiam & poſt illum hunc ſpiritum immortalem. Subiere paulò poſt ambo martyrium, ſubiit & Cæcilia. Priuſquam tamen conſummaret illud; pauperibus erogaverat ſuas omnes fortunas; ſuamque domum dedicaverat in Chriſtianorum Eccleſiam; nec aliis manibus, quam Urbani: qui ſanctam illam conjugem ſimul & virginem eâdem ſpelivit in crypta, in qua paulò

Baptizat illum cum Tiburtio.

Sepelit ſanctos

antea maritum martyrem repoſuerat unà cum Tiburtio ejus fratre. Voluit inſuper, ut cœmeterii Calliſtini ea pars ad ſempiternam rei memoriam peculiari titulo appellaretur *ad ſanctam Cæciliam.* Præſagiens fore ſæculorum decurſu, qui impenderent prophanis uſibus reditus Eccleſiaſticos, occurſurus, quâ poterat, iſti malo coævos ſimul & nepotes admonuit his verbis: *Ipſæ res fidelium quæ Domino offeruntur, non debent in alios uſus quam Eccleſiaſticos & chriſtianorum fratrum vel indigentiũ converti: quia vota ſunt fidelium, pretia peccatorum & patrimonia pauperũ.* Quam neceſſarium hoc monitum iſto tempore! *quo Eccleſiaſticæ dignitatis officia in tenebrarum negotia tranſiere ..... & Eccleſiarum reditus in ſuperfluitatibus & vanitatis uſibus diſſipantur,* ut * piè queritur Bernardus. *Non ſibi,* inquit idem doctor, * *de bonis Eccleſiæ ampla palatia fabricet mutans quadrata rotundis, nec loculos inde congreget, non extollat de facultatibus Eccleſiæ conſanguineos ſuos aut neptes, filias, dixerim, nè nuptui tradat. Res*

Docet ad quos uſus inſumenda ſint bona Eccleſ.

* *S. 6. in pſal. Qui habitat-*

* *de verbis Evangel. dixit Simon Petrus ad Ieſum.*

pauperum non pauperibus dare par ſacrilegio crimen eſſe dignoſcitur. Sanè patrimonia pauperum ſunt facultates eccleſiarũ & ſacrilegâ eis crudelitate ſurripitur quidquid ſibi miniſtri, non utique domini, diſpenſatores non poſſeſſores ultra victũ accipiunt & veſtitum. Nec enim ordinavit Deus his, qui evangelio ſerviunt, de evangelio quærere aut habere delicias vel ornatum, ſed vivere, ait Paulus, ex eo: ut videlicet ſint contenti alimenta corporis non irritamenta gulæ aut incentiva libidinis; & quibus tegantur, non quibus ornentur, accipere. Et hæc obiter opportunè, vel importunè ut decet Chriſtianũ hiſtoricum, in his præſertim. Ut autem doceret Urbanus ſuis exẽplis, in quos uſus errogari oporteat iſta bona; omnem altaris ſupellectilẽ maximè vaſa ſacra, calices nec non patenas viginti quinque conflavit ex argento. *Fecit*, inquit liber Pontificalis, *miniſteria omnia ſacra argentea & patenas viginti quinque.* His ſolitus uti Urbanus; cum ſacra faceret & Chriſtianis porrigeret in cœmeteriis martyrum; datumque illi hæc

Vaſa ſacra conficit ex argento.

& ſimilia gerere per annos ſex, menſes ſeptem, dies quatuor: minutus tandem capite martyr *occubuit præmiſſis antea in cœlum multis martyribus; quos ſuis adhortationibus ad fidem Chriſti converterat.

** Chriſti 233. Maii 25.*

S. PONTIANUS Papa XIX.

Chriſti 233. *Alexandri Imper.* 10.

DIMIDIATUS ſuo nomine Pontifex Pontianus Calpurnii filius cum in natali urbe Roma clareret ſuis moribus & ſplendore virtutum: electione cleri creatus Urbani ſucceſſor trigeſimo poſt ejus mortem die ſenſit ſe reipsâ & omnino eſſe ſummum Pontificem: nec ſolum ſenſit, ſed egit. Nihil enim antiquius habuit eo apice, quam ut opportunè importunè ab antiquis ſuperſtitionibus Romanos cives traduceret ad veritatem & calcatis deorum imaginibus colerent Chriſtum. Cumque in id incumberet totus, nec ſolum in cryptis

Pontiani Zelus pro fide.

Digitized by Google

ſed & palam confiteretur & prædicaret Chriſtum coram hominibus; fertur extitiſſe tam carus Alexãdro Severo, ut theſauros ſuos ei legaverit. Ut tamẽ res mortalium vices habent; deportavit haud multò poſt in Sardiniam inſulam idem ipſe, qui tam impenſè Pontianum amaverat: hac in calamitate hæc una illi felicitas, quod relegatus cum eo fuerit Philippus presbyter, aliis Hyppolytus, ad ſolatium. Septus illic cohorte militum excubantium, nè aufugeret, devorabat ſales quotidie, alapas, ſputa & quidquid furor audet in barbaris: nondum tamen mortem pro Chriſto. Illata demum & illa fuit mandato Maximini; qui juſſit ſanctum Pontificẽ ita tundi fuſtibus ut vile animal; ut poſt iteratorum ictuum grandinem obtritus & lividus à capite ad calcem * martyrium conſummaverit. Sunt, qui aſſerant ſediſſe annos quatuor, menſes totidem, dies viginti quinque; ſunt qui è contra velint tenuiſſe clavum Eccleſiæ toto novennio. Jacuere ad tempus in Sardinia ſacræ ejus reliquiæ: devectæ navi in Urbem ſub

Genebr. l. 3. Chronol. in Pontian.

Relegatur.

** Chriſti 237. Novẽb. 19.*

Digitized by Google

Fabiano Papa magnâque cleri & populi veneratione exceptæ collocatæ ſuere in cœmeterio Calliſti viâ Appiâ.

S. ANTHERUS Papa X X.

Chriſti 237. *Maximini Imper.* 1.

UTER Pontianum exceperit Antherus, an Cyriacus; controverſia eſt inter hiſtoricos. Cyriacum ei ſubſtituunt * nonnulli recentiores, eraſumque ideo produnt ex albo Romanorum Pontificum; quod profectus Coloniam Agrippinam ad S. Urſulam martyrẽ & virgines ejus ſocias reclamãte clero Romano Epiſcopatu ſe abdicaverit. Alii verò longè plures numero & ſapientiores produ͂t ſucceſſiſſe Antherum Romuli filium Græcum origine, ut indicat ejus nomen; quod idem eſt ac* *Floridus* vel *amori oppoſitus*. Creatum in Sardinia, ubi vitæ ſolitariæ fruebatur delitiis; poſt diem unum à martyrio Pontiani;

* *Nauclerus, Bergomas Faſciculus temporum.*

* ἀνθηρὸς *floridus* ἀντὶ ἐρῶς *contra amorẽ. Antherus.*

Succeſſit Pontiano non Cyriacus. Fundiſque in Campania ab eo ordinatum Epiſcopum; cum ab illa inſula Romam peteret animaturus chriſtianos à Maximiano afflictos, nè deficerent in tormentis, poſt Onuphrium Ciaconius nec modo unus ſine authore aſſerit, ſed contra omnes: qui ajunt ſubrogatum hunc Romæ & die decimo tertio à Pontiani morte. Præcipua novi Pontificis cura in eo vertice imo & tota, ſaltem quæ conſtet; ut geſta SS. Martyrum exploraret à *Recondit geſta ss. martyrum in archiviis.* deſignatis Notariis, eaque velut theſaurum pretioſiſſimum reconderet in archivis Eccleſiæ; ne memoria illorum interiret ſimul cum vità. Sunt qui * prodant, idque ſine authore; conſtitutum ab illo, ut dimiſſo primo Epiſcopatu Epiſcopus transferri poſſet in alium indulgente Romanæ ſedis Pontifice: non ex ambitione aut turpis lucri gratiâ, ſed ad majorem Dei gloriam & utilitatem ovium commiſſarum. *Hoc ævo contrarium fit à pleriſque*, ut ſapienter Platina: *ad utilitatem enim propriam reſpicientes imo voluptatem; ut habeant unde expilent, ad uberiorem ſemper reſpiciunt: non*

* *Platina Ciacon. Bergom. ex Gratiano.*

In Anthero.

quod oves & quâ ratione paſcendæ ſint, quærentes, quod eſt officium boni paſtoris, ſed ſciſcitantes quantum ſingulis annis inde excerpi poſſit. De cura animarum parva fit mentio, de augendis proventibus magna; quò multa jumenta & plures ſervos ac eos quidem ignavos & ſtolidos domi alant. Viderint, quorum intereſt, quique inhiantes ſemper pinguiores venantur infulas, veri Eccleſiæ *Sciuri* tranſilientes ab uno Epiſcopatu ad alium, ut illi à ramo ad ramum; non amore Chriſti, ſed ſui. Gerebat interim S. Pontifex, quæ incumbebant illi ex munere, bellum præſertim in idolorum cultores & flamines ſimulachrorum. Inde Maximinus efferbuit; cumque nec minis neque præmiis abducere eum poſſet à veritate ad errorē; Vitaliano miſit Prætorio Præfecto, ille Sabino præfecto Urbis; ut vel mutarent pœnis ejus conſtantiā, vel * mactarent; cumque mutare eum non poſſent, mactarunt libato Pontificatu per menſem tantum, non per annos undecim, ut ſolus ait Platina. Sic S. Papa brevi admodum tempore veluti flos

* *Chriſti 238. Ianuar. 3.*

Digitized by Google

pulcherrimus, quem præferebat nomine, demeſſus fuit; ut æternum floreret in ejus paradiſo, *qui eſt flos campi & lilium convallium.*

S. FABIANUS Papa XXI.

Chriſti 238. *Maximini Imper.* 2.

FABIANI privilegium fuit, ut cum non aſcenderint Petri cathedram ejus anteceſſores niſi *vocati à Deo tanquam Aaron*; non aſcenderit eandem ipſe, niſi à Deo monſtratus. Ut amabat vices, agebat interdum Romæ, quæ patria, cum patre Fabio; interdum extra & ruri. Si non degebat ibi, quando Antherus exceſſit è vivis; inde ſaltem reverſus, quo tempore eligebatur ejus ſucceſſor. Revertenti datum auſpicium feliciſſimum: cum enim itineris tædium falleret ſuaviſſimis colloquiis de Antheri obitu & ſucceſſore illius, volans ſupra caput ejus columba prænuntiavit & pronuntiavit diſtinctè, *Romæ Epiſ-*

Fabiani mira electio.

Bergo-

copus coronaberis. De hoc vaticinio nè verbum quidem * Euſebius: prodit dumtaxat reverſo ex villa Fabiano cum amicis Dei opitulante gratiâ obtigiſſe hunc apicem: jamque clerici convenerāt in Eccleſiam unâ cum populo ad electionē pontificis.; eligendum ſe nec cogitabat ipſe, nec alii; in aliquot viros illuſtres jam conſpirabant vota fidelium; nihil interim de Fabiano; ipſum tamen Deus præfecerat, idque indicavit miraculo. Cum enim congregata concio in precibus tota eſſet & fluctuarent mirum in modum; quem promoverent ex omnibus, delapſa cœlitus columba ſupra caput ejus inſedit & clamavit vel muta, *iſtum eligite præ omnibus & inter omnes.* Et continuò conclamans multitudo, quæ circumſtabat *Fabianus*, inquit, *eſto Pontifex maximus; placet; hunc eligimus, quem jam Deus; dignus ille, vel nullus*: ſtatimque comprehenſum ſacerdotali cathedræ impoſuit. Compos hujus faſtigii mirè ſollicitus erga egenos magnam urbē & ejus regiones diviſit ſeptem diaconis, qui proſpicerent neceſſitatibus pauperum:

menſ. l. 8. in Fabiano ex Martino.

** L. 7. hiſt. c. 29. ex verſ. Valeſii.*

Supra Fabiani caput columba.

Digitized by Google

creavit totidem ſubdiaconos, qui ſcripta à ſeptem Notariis geſta ſanctorum martyrum colligerent; idque perſapienter; quia ſcilicet vix vel ægrè admodum legi poterat, quod ſcriptum erat per Notarios. Cum enim inſtituti à Clemente fuiſſent; ut celeriter exciperent morientiũ martyrum verba vel geſta, nec id poſſet fieri niſi compẽdio & verborum notis aut Hieroglyphicis mage quam literis; eaque ſcribendi ratio eſſet valdè obſcura & fortè abhorrerent illam Chriſtiani vel minus caperent minuſque legerent, quod incendere poterat ad martyrium: ideo ſapienter præfecit ſeptem Notariis totidem ſubdiaconos, qui integrè exſcriberent & perſpicuè, quæ ipſi ſcripſerant ſubobſcurè & per compendium. Idque ſatis inſinuatum voluit liber Pontificalis; cum Fabianum ait, *feciſſe ſeptem ſubdiaconos, qui ſeptem Notariis imminerent, ut geſta Martyrum in integro colligerent.* Converſus ab his ad ſplendorem Eccleſiarum uſuſque, ut par erat, ſerenitate pacis, quâ Gordiano regnante fruebatur Eccleſia, conſtruxit ædificia

Creat 7. ſubdiac. & præficit Notariis.

ſubdio

ſubdio, & expoſita oculis hominum in cœmeteriis; ut in iis haberentur Chriſtianorum ſynaxes, non in cryptis ſubterraneis, ut aſſolebant.

§. I.

Nec tãtùm ſollicitus erat Fabianus & impiger circa hæc, ſed maximè circa fidem. Invigilabat ſeriò; ne qua hæreſis eam impeteret & infuſcaret tantiſper: ideo ubi nuntiante famâ cognovit Privatum quemdam contaminaſſe Affricam ſuis deliriis; continuò eum perculit anathemate privavitque communione Eccleſiaſticâ. Inflicta ferme ab eodem eadem pœna adverſus ſtuporem mundi Origenem, qui platoniſans pluſquam decebat Chriſtianum doctorem, errores multos inſperſerat ſuis libris; eamque ob rem lis intentata illi eo nomine fuerat à Demetrio primum, à Dyoniſio poſtmodum Alexandrinis Epiſcopis: nec aliâ viâ ſibi conſuluit, quam ſcribendo literas apologeticas miſsâque ſuæ fidei profeſſione ad Fabianum præſertim Epiſcopum Romanum. Hancque

Privatũ excommunicat.

Digitized by Google

Vocat Origenem. ille cum detrectaſſet admittere ut inſinceram, acceſſit Romam Origenes vel evocatus vel ſponte redditurus ibi coram S. Papa rationem, ſi non villicationis ſuæ, doctrinæ ſaltem. Idque cum peregiſſet palam vivæ vocis oraculo, rediit in Orientem poſt accepta monita ſalutis à Fabiano: nè nimium ſaperet, ſed cum modo & ad ſobrietatem. Errabat interim Fabianus per urbem, Deoque plenus inibat ipſa Deorum templa; æquabat ſolo & idola quæ colebantur in iis: auſus etiam *Evertit Iovis templũ ex Actis S. Pontii, apud Surium 14. Maij.* hoc pietatis æſtu fervere in ædem ipſius Jovis & ejus ſimulachrum. Neque ad hoc facinus exarſerunt in eum Sacerdotes aut ethnici: imo nonnulli ex iis & magno numero ejurantes idola ſuſcepere baptiſmum manibus Fabiani. Primi omnium dignitate ſaltem fuere duo Philippi pater & filius Imperatores; qui cum adhortante eos Pontio tunc præfecto poſtea martyre fuiſſent amplexi Religionem Chriſtianam, fuere ambo intincti aquis baptiſmatis à Fabiano Papa. Ea fuerit felicitas ſancti Pontificis, quod ſalutaribus undis irroraverit primum Im-

peratorem Chriſtianorum : oſtendit quantopere eſſet tenax diſciplinæ Eccleſiaſticæ, qui noluerit eam remittere vel in gratiam Auguſti. Deliquerat graviter Imperator jam initiatus baptiſmo, eaque erat atrocitas hujus flagitii ; ut mereretur jure extorris eſſe ab Eccleſia in pœnam, prout ex uſu fiebat in privatis hominibus, ſi id admitterent, idque ignorabat Philippus. Cum ergo irruente in Eccleſiam multitudine populi pervigilio magnæ celebritatis Paſchæ vellet & ipſe precaturus intrare, negavit illi aditum Fabianus ; indulſitque illi dumtaxat poſt peractam in loco & ordine pœnitentium ſolitam exomologeſim; ubi ſcilicet lurido vultu, cultu ſquallido ſervatiſque ſervandis ex diſciplina ſæculi implevit omnem pœnitentiæ paraturam. Sic in Fabiano vidit Ambroſius, quod ſuo imitaretur tempore adverſus Theodoſium. *Hunc utpote Chriſtianũ*, ait de Philippo parte Euſebius, *fama eſt in poſtrema Paſchæ vigilia precationum in Eccleſia participem ſimul cum reliquo populo fieri voluiſſe: ſed Epiſcopum, qui tunc*

Imponit pœnitẽtiã publicam Philippo patri. Imp.

l. 6. c. 34. ex verſione Valeſii.

Digitized by Google

*Eccleſiæ præerat, non prius illi aditum permiſiſſe, quam * confeſſionem ſcelerum feciſſet, iiſque qui humanitus lapſi fuerant & in pœnitentium ordine ſtabant, ſe adjunxiſſet. Quippe ob multa crimina, quæ commiſerat, numquam omnino ab Epiſcopo fuiſſet admiſſus niſi id prius feciſſet. Et Imperator quidem libenter obtemperaſſe dicitur.*

* ἐξομολογήσασθαι.

§. II.

Floruit reſpublica Chriſtiana, quamdiu viguit ea concordia Imperii & Sacerdotii. Uſus illâ Fabianus, ut oportebat, ſtatuit ſapienter; ut combuſto vetere chriſmate quotannis renovaretur in Cœna Domini: edixit inſuper, ut & annis ſingulis Chriſtiani ſinguli ſacram perciperent Euchariſtiam tribus feſtivitatibus Paſchæ, Pentecoſtes & natalitiâ Salvatoris: eſt & qui aſſerat illius juſſu adornata primum Martyrologia. Hæc cum gereret Fabianus & alia multa ejuſdem pietatis; erogaret maximè ornamentis Eccleſiarum & alimoniis pauperum Gazas Imperatorias, quas præſentientes ſe à Decio occiſum iri Phi-

Bergomenſ. l. 8. in Fabian.

Genebr. l. 3. Chronol. in Fabiano.

lippi ambo illi dederant ante mortem, primum hauſit furoris impetum novi Imperatoris, qui confidebat ſublatum iri è medio Sanctam Eccleſiam, ſi tolleret caput illius Fabianum. Obtigit ei iſta * felicitas, cum ſediſſet alternante fortunâ perſecutionis & pacis per annos quindecim dies quatuor: quo tempore ordinationes inſtituit non niſi quinque menſe Decēbri; quibus diaconos ſeptem dumtaxat, presbyteros duos ſupra viginti conſecravit & Epiſcopos undecim. Illatus fuit ad ſepulturam in cœmeterium Calliſti viâ Appiâ.

Bergom. Geneb. in Philippo.

* *Chriſti 253. Ianuar. 20.*

S. CORNELIUS Papa XXII.

Chriſti 254. Decii Imper. 2.

POſt biennale ferme interpontificium, quo orba capite S. Eccleſia laboravit ob incrudeſcentem perſecutionem omnium acerbiſſimam Decii Imperatoris, dedit tandem ſucceſſo-

Digitized by Google

rem Fabiano Clerus Romanus preſbytorum laudatiſſimis moribus Cornelium ex Caſtino patre civem Romanum. Hujus Pontificis laus eſt, quod non repente ſummus evaſerit, id eſt in faſtigiorum faſtigium non aſcenderit niſi per gradus progreſſus à minimis ad majores; non ultrò, ſed invitus; neque judicio & voluntate hominum, ſed divino teſtimonio pœne omnium, Clericorum & ſuffragio populi, qui tunc intererant. *Quod Cornelium, ait Cyprianus, cariſſimum noſtrum Deo & Chriſto & Eccleſiæ ejus, item conſacerdotibus cunctis laudabili prædicatione commendat; non iſte ad Epiſcopatum ſubitò pervenit, ſed per omnia Eccleſiaſtica officia promotus & in divinis adminiſtrationibus Dominum ſæpe promeritus ad Sacerdotii ſublime faſtigium cunctis Religionis gradibus aſcendit. Tum deinde Epiſcopatum ipſum nec poſtulavit, nec voluit, nec ut cæteri, quos arrogantiæ & ſuperbiæ ſuæ tumor inflat invaſit: ſed quietus & modeſtus & quales eſſe conſueverunt, qui in hunc*

Electio Cornelii.

* *Epiſt. 52. ad Antonianum.*

Electus invitus & decurſis gradibus Eccleſ.

locum divinitus eliguntur ; pro pudore virginalis conſcientiæ ſuæ & pro humilitate ingenitæ ſibi & cuſtoditæ verecundiæ non ut quidam vim fecit, ut Epiſcopus fieret, ſed ipſe vim paſſus eſt ut Epiſcopatum coactus acciperet. Et factus eſt Epiſcopus à plurimis collegis noſtris, qui tunc in urbe Roma aderant, qui ad nos literas honorificas & laudabiles & teſtimonio ſuæ prædicationis illuſtres de ejus ordinatione miſerunt : factus eſt autem Cornelius Epiſcopus de Dei & Chriſti ejus iudicio, de Clericorum pene omnium teſtimonio, de plebis quæ tunc adfuit, ſuffragio & de Sacerdotum antiquorum & bonorum virorum collegio cum nemo ante ſe factus eſſet ; cum Fabiani locus, id eſt cum locus Petri & gradus Cathedræ ſacerdotalis vacaret. Subjungit hæc ibidem, *poſt Epiſcopatum non exambitum, non extortum, ſed de Dei, qui Sacerdotes facit, voluntate ſuſceptum quanta in ipſo ſuſcepto Epiſcopatu ſuo virtus ? quantum robur animi? qualis firmitas fidei? Quod nos ſimplici corde & perſpicere penitus & laudare de-* Laudes Cornel. ex Cypria.

Digitized by Google

*bemus, ſediſſe intrepidum Romæ in Sacerdotali Cathedra eo tempore; cum *tyrannus infeſtus Sacerdotibus Dei fanda aeque infanda comminaretur: cum multò patientius & tolerabilius audiret levari adverſus ſe æmulum principem quam conſtitui Romæ *æmulum Sacerdotem.*

* *Decius*

* *Pontificem maximum qualis ille.*

§. I.

Rata & grata omnibus hæc Cornelii electio non modo invenit vel fecit adverſarium Sacerdotem, ſed æmulum, Novatianum ſcilicet; qui ringens furore & impatientiâ non ſolum turpiſſimo ſchiſmate ſe divulſit ab Eccleſiæ capite; ſed quod peius eſt, primus omnium erupit in Antipapam; cum inauguratus Epiſcopus erexit Cathedram contra Cathedram: & ſic ex Eccleſia fecit monſtrum & quaſi Hydram, cum bicipitem. Hujus impiæ novitatis & novæ impietatis auctor Novatus Epiſcopus Affricanus; qui cum latraſſet virulenter in Cyprianum, quod lapſos non admitteret niſi poſt amariſſimas lachrymas

Novatianus primus in Corn. Anti-Papa.

Digitized by Google

& diuturna lamenta: verè Protheus & verſatilis Romæ efferbuit in Cornelium non alio colore, quam quod præproperæ benignitatis indulgentiâ admitteret eoſdem intra Eccleſiam. Hoc prætextu facta diſceſſio & manifeſtum diſſidium à Cornelio velut à perfido Apoſtata, quod miſceret communionem cum Epiſcopis, qui metu ſuplicii ſacrificaverant: abrogata deinde ejus electio: ſparſæ in eum calumniæ; divulſi ab ejus communicatione ipſi etiam inclyti Confeſſores ob ſcandalum. Ne careret capite Eccleſia, in abdicati vicem Cornelii ſubrogatur furtim novum magis idolum quam novum caput Romanus presbyter Novatianus: nec difficile fuit id perſuadere famelico, qui livore lymphaticus ob electionem Cornelii inhiabat avidiſſimè ad hoc faſtigium. Cum nulli ex ſapientioribus vellent Novatiano intruſo manus imponere: duos deploratæ ſalutis & ejuſdē farinæ homines miſit in quemdam Italiæ angulum, ut illinc tres ſimplices & idiotas Epiſcopos Romam abducerent colore aliquo pietatis: cumque nil ſub-

Novati arte ſin Cornelium.

Ordinatio Novatiani.

Cornelius ſuâ ad Fabium Antioc. Epiſtol. apud Euſeb. l. 6. c. 43.

Digitized by Google

odorati veniſſent bono animo, largiter potos & ebrios coëgit reluctantes adumbratâ quâdam manuum impoſitione ſibi tradere Epiſcopatum. Perculſus ſuâ facilitate unus ex illis rediit ad Cornelium ſuum delictum confitens cum amariſſimis lachrymis: & ille pro autoritatis apice, quo pollebat, univerſo etiam populo pro illo intercedente reſipiſcentem admiſit ad laïcam communionem dumtaxat ex diſciplina ſæculi. Ordinavit præterea duos Epiſcopos præfecitque eos de ſuæ plenitudine poteſtatis iis Eccleſiis, quas alii duo Novatiani ordinatores gubernaverant. *Ex quibus Epiſcopis*, laudatâ ad Fabium Epiſtolâ ait Cornelius, *unus non longè poſt peccatum flebiliter lamentatus revenit: quem populo univerſo pro eo rogante tandem ut laicum in communionem recepimus: atque alios qui in reliquorum duorum Epiſcoporum loca, qui eum creaſſent, ſuccederent, miſimus.* Gregales ſuos ſive cultores ut detineret impius & ſacrilegus Antipapa, eoſque in æternum alienaret à vero & legitimo Papa, ſi quando porrigeret Euchariſtiam &

Cornelius tenace diſciplinæ recipit Epiſcopos & præficit.

propinaret S. Calicem, ſolebat vir nefarius exigere à cunctis interpoſito etiam juramento ſequuturos ſe ſemper impoſterum, numquam verò adhæſuros Cornelio. *Oblatione factâ portionem ſingulis dividens, dum eam tradit, miſeros homines benedictionis loco jurare cogit: manus ejus qui portionem accepit, ambabus ſuis manibus comprehenſas retinens nec prius dimittens, quam jurati iſta dixerint [ipſis enim utar illius verbis] IVRA mihi per Corpus & Sanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti te numquam meas deſerturum partes, nec ad Cornelium reverſurum.* Et ſinguli pro *AMEN*, quod communicantes reſpondebant ex inſtituto, cogebantur dicere in ejus vicem & velut echones repetere: *Non revertar deinceps ad Cornelium.*

Euſebius loco laudato.

Iuramẽtum exactum contra Cornelium.

§. II.

Hæc intra Romam impius, geſſit extra, quod electi canonicè ſolebant; qui ex uſu ſcriptis Encyclicis certiores ſuæ electionis faciebant primarias

Scriptæ à Novatiano literæ in Cornelium.

ſaltem Eccleſias: ſic & Novatianus ſtratagemate diabolico ſuffuraturus communionem Eccleſiarum ſuos eveſtigio legatos ſive Apoſtolos Alexandriam & Carthaginem miſit inſtructos non literis ſed Philippicis & virulentis ſatyris contra Cornelium: refertæ è contra erant elogiis Novatiani, maximè quod provectus eſſet invitus & omnino reluctans. Cum autem Novatiano non ſuppeterent vera flagitia in Cornelium ſuas literas infercerat meris mendaciis; accuſabat eum præſertim, quod obtuliſſet libellum communicaſſetque cum iis: qui idolis ſacrificaverant. Potuiſſet hæc confutare Cornelius literis Apologeticis. Cum ergo vel non poſſet vel nollet, excitavit Deus O. M. illius innocentiæ vindicem ſanctiſſimum ſimul & eloquentiſſimum virum Cyprianum; qui hæc in defenſionem ſimul & laudem Cornelii, *Quod autem*, inquit, *quædam de illo inhoneſta & maligna jactantur, nolo mireris; cum ſcias hoc eſſe opus ſemper diaboli, ut ſervos Dei mendacio laceret & opinionibus falſis glorioſum nomen infamet, ut qui*

Apologia Cornelii ex Cypriano.

Epiſt. 25 ad Antonianū

Digitized by Google

conſcientiæ ſuæ luce clareſcunt, alienis rumoribus ſordidentur. Exploraſſe autem collegas noſtros ſcias & veriſſimè comperiſſe nullâ illum libelli, ut quidam jactant, labe maculatum eſſe; ſed neque cum Epiſcopis, qui ſacrificaverant, communicationem ſacrilegam miſcuiſſe; ſed eos demum, quorum cauſa audita & innocentia comprobata ſit, conjunxiſſe nobiſcum. Poſt nonnulla demum concludit: *Sed & quod paſſim communicare Sacrificatis Cornelius tibi nuntiatus eſt, hoc etiam de apoſtatarum fictis rumoribus naſcitur.* Cum verò colle[illegible]i Epiſcopi cum Cypriano inaudiſſent Carthagine obortum ſchiſma poſt electionem Cornelii nutarentque plerique, utri eſſet adhæreſcendum: miſere protinus Romam duos legatos, qui conciliarent diſſidentes, ſi poſſent; ſin minus, ſuis eos informarent literis, quis illorum eſſet intruſus, quis electus canonicè. Cumque Caldonius & Fortunatus eorum oratores reſcripſiſſent rite & in Domino electum fuiſſe Cornelium, intruſum è contra Novatianum, ſcriptis continuò literis

Cyprianus & Epiſcopi exiſtentes Carthagine reliquos fecere certiores de legitima Cornelii promotione, ut univerſi retinerent communicationem cum illo, *Placuit*, ait, *ut per Epiſcopos retentâ à nobis rei veritate & ad comprobandam ordinationem tuam facta auctoritate majore tum demum ſcrupulo omni de ſingulorum pectoribus excuſſo per omnes omnino iſtic poſitos literæ fierent, ſicuti fiunt, ut te univerſi Collegæ noſtri & communicationem tuam, ideſt, Catholicæ Eccleſiæ unitatem pariter & charitatem probarent & firmiter retinerent. Quod divinitus eveniſſe & conſilium noſtrum providenter proceſiſſe gaudemus. Sic enim nunc Epiſcopatus tui & veritas pariter & dignitas apertiſſimâ luce & manifeſtiſſimâ & firmiſſimâ comprobatione fundata eſt; ut ex reſcriptis collegarum noſtrorum, qui ad nos literas inde fecerunt & ex relatione ac teſtimoniis Coëpiſcoporum Pompeii & Stephani & Caldonii ac Fortunati ordinationis tuæ & origo neceſſaria & ratio juſta & glorioſa quoque innocentia ab omnibus noſceretur.*

Cypria. epiſt. 45. ad Cornelium.

Quæſita ab Africa. communio cum Cornelio.

Digitized by Google

§ III.

Venere per eos dies vel fortè haud multò ante miſſi ad Cyprianum ab Antipapa Novatiano oratores quatuor Maximus presbyter, Augendus diaconus, Machæus quidam & Longinus: qui cum blaterantes inconditis clamoribus flagitarent impudentiſſimè, ut Cornelii ſcelera publicè legerentur, eorum improbitati obſtitit validè Cyprianus. Liquet his robuſtiſſimis verbis: *Qui cum*, inquit, *in ſtatione invidioſis quoque conviciis & clamoribus turbulentis proruerent & flagitarent; ut crimina quæ ſe afferre ac probare dicebant publice à nobis & à plebe cognoſcerentur: gravitati noſtræ negavimus convenire, ut Collegæ noſtri jam electi & ordinati & laudabili multorum ſententiâ comprobati ventilari ultra famam ore maledico & æmulantium voce pateremur.* Geſſere idem per ſummam erga Cornelium reverentiam præſules, qui convenerant cum Cypriano; cum enim ejuſdem ſtyli, refertum ſcilicet

Sollicitus pro fama Cornelii Cyprianus.

Epiſt. 1. ad Cornel.

Reverētia epiſc. Affric. erga Cornel.

convitiis libellum accepiſſent quibus Novatianus ut canis rabidus proſcindebat Pontificem ornatiſſimis moribus, temperarunt per honorem ab ejus lectione. Teſtis iterum Cyprianus his verbis; *Honoris communis memores & gravitatis ſacerdotalis ac ſanctitatis reſpectum tenentes, ea quæ ex diverſo in librum ad nos tranſmiſſum congeſta fuerant acerbationibus criminoſis reſpuimus: conſiderātes pariter ac ponderantes, quod in tanto fratrum religioſoque conventu conſidentibus Dei ſacerdotibus & altari poſito nec legi debeant nec audiri.* Cum ergo qui miſſi à Novatiano fuerant cum literis de ejus electione & calumniis in Cornelium expulſi ab Affricanis fuiſſent cum ignominia; impatiens Novatus hujus repulſæ ſtipatus quatuor nebulonibus ſchiſmaticis Evariſto, Nicoſtrato, Primo & Dyoniſio legationem capeſſivit in Affricam. Fecit tamen Cornelii vigilantia, ut omnino irrita eſſet & careret fructu, quem optabat homo ſacrilegus. Suis enim literis monuit Cyprianum, quam ſcelerati eſſent & corruptiſſi-

Epiſt. 42.

Monet Cyprianū Cornelius.

Epiſt. 4. inter Cyprianicas.

mis moribus illi ſodales, quos Novatus patriarcha ſchiſmatis devexiſſet ſecum in Affricam. Fervebat interim Romæ Novatiani hæreſis ſpargebantque paſſim illius ſectatores diabolicâ prorſus ſeveritate, lapſis in idolatriam nullum perfugium, nullam ſpem veniæ ſupereſſe, petendam tantum & ſperandam à Deo. Ne ſerperet in dies totamque popularetur urbem tam execranda opinio; collectâ Romæ Synodo definivit Cornelius lapſos admiſſum iri ad communionem Eccleſiaſticam, ubi longâ inediâ macerati & perfuncti diuturnis jejuniis feciſſent fructus dignos pœnitentiæ. Teſtatur hoc ipſum Cyprianus, cum ait; *Romam etiam ſuper hac re ſcripſimus ad Cornelium collegam noſtrum: qui & ipſe cum pluribus Coëpiſcopis habito Concilio in eamdem nobiſcum ſententiam pari gravitate & ſalubri moderatione conſenſit.* Sparſis continuò per totum orbem Encyclicis notum fecit Cornelius omnibus Eccleſiis, quarũ intererat ſuſcipiendos brachiis charitatis, ſi qui poſt lapſum reſipiſcentes pœnitentium habitu dolore cordis tacti intrinſecus

Cornelius colligit Synodum adverſus Novatian.

Epiſt. 52. ad Antonian.

Decernit Cornelius laïcos lapſos eſſe recipiendos.

peterent veniam: ſic cenſuiſſe ſanctam Eccleſiam; exemplo patris indulgentiſſimi recipi ejus gremio, quotquot prodigi reverterentur ad ejus ſinum cum lachrimis & ſingultibus. *Dum hæc*, prodit Socrates, *inter eos agitatur controverſia, literæ Cornelii Epiſcopi allatæ ſunt; quæ ſignificabant ſpem veniæ etiam illis eſſe reliquam, qui poſt baptiſmum deliquiſſent.*

l. 4. c. 23.

§. IV.

Indulgentia Cornel. erga lapſos Sacerdotes

Uſus inſuper Cornelius indulgentiâ erga presbyteros lapſos eodem ſtatuerat in Concilio admittendos ſimiliter in Eccleſiam, qui perculſi ex animo palinodiam canerent: eo tamen temperamento voluit revertentes admitti, ut abſtinentes prorſus à functionibus ſacerdotum laïcâ tantum communione gauderent, haberenturque poſthac ut meri laïci. Uſurpata fuit ab illo ea benignitas ſimul & ſeveritas erga Trophimum; qui cum ſuo exemplo, forte & verbis, plebis ſibi commiſſæ partem maximam pertraxiſſet ad lapſum, reverſus poſtea cum eodem

Trophimũ recipit & redigit ad laïcos.

ſuplicante pro eo, quem deceperat, grege, ſuſceptus tandem à Cornelio fuit inter laïcos. Novatiani tamen ejuſque gregalium improbitate ſparſus rumor fuerat per totam Affricam admiſſum non modo eum humaniter à Cornelio, ſed & permiſſum obire, ut antea, quæ Epiſcopalis erant officii: quo nuntio cum perculſi mirum in modum fuiſſent Affricani, Antonianus præſertim Epiſcopus in Numidia, ſingulari epiſtolâ rei geſtæ veritatem ipſi expoſuit Cyprianus hoc pacto, *Nam & de Trophimo, de quo tibi ſcribi deſideraſti, non ita res eſt, ut ad te pertulit rumor & mendacium malignorum. Nam ſicut anteceſſores noſtri ſæpe fecerunt, colligendis fratribus noſtris cariſſimus frater noſter Cornelius neceſſitati ſuccubuit; & quoniam cum Trophimo pars maxima plebis abſceſſerat, redeunte nunc ad Eccleſiam Trophimo & ſatisfaciente & pœnitentiâ ſatisfactionis errorem priſtinum confitente & fraternitatem quam nuper abſtraxerat cum plena humilitate &] ſatisfactione revocante, auditæ ſunt ejus preces, & in* *Epiſt. 52. ad Anton.*

Digitized by Google

Eccleſiam Domini non tam Trophimus, quam maximus fratrum numerus, qui cum Trophimo fuerat, admiſſus eſt: qui omnes regreſſuri ad Eccleſiam non eſſent, niſi cum Trophimo comitante veniſſent. Tractatu ergo illic cum Collegis pluribus habito ſuſceptus eſt Trophimus, pro quo ſatisfaciebat fratrum reditus & reſtituta multorum ſalus. Sic tamen admiſſus eſt Trophimus, ut laicus communicet; non ſecundum quod ad te malignorum literæ pertulerunt, quaſi locum Sacerdotis uſurpet.

Qua cõditione admiſſus Trophimus à Cornelio.

§. V.

Rediere etiam ad Cornelium nonnulli clerici magni nominis inter Romanos Maximus, Urbanus, Sidonius, Macarius, Celerinus & alii complures; quos ſuis effaſcinatos præſtigiis ſuas in partes Novatianus traduxerat, cum adhuc in carcere poſiti gloriâ confeſſionis clareſcerent. Redeuntibus non continuò & temere ubi pulſarunt, aperuit fores Cornelius, ſed poſt moram & ſapienter; ut

Recepti à Cornelio Clerici Ro.

Digitized by Google

liqueret hoc ſpatio, an ſincerè mutati eſſent, an in ſpeciem tantum. Cum ergo ſeriò pœnitentes confeſſi eſſent coram Cornelii ſacerdotibus ſe reos eſſe; maximè autem quod plenæ calumniis & maledictis in Cornelium literæ fuiſſent eorum nomine [ipſis tamen inſciis quid continerent] miſſæ per univerſas Eccleſias: viſum Cornelio presbyteros & Epiſcopos quinque qui Romæ tum aderant, adhibere in conſilium; ut ſtatueretur omnium calculis, quid obſervari deceret circa reſipiſcentes clericos. Et hi cum calentiſſimis precibus poſtulaſſent, ut æternum traderentur oblivioni, quæ furore rapti peccaverant per inſaniam; congregatâ ad ſpectaculum infinitâ multitudine populi lacrymantis præ gaudio obtulere Cornelio libellum ſcriptum manu propriâ in argumentum ſinceræ converſionis & palinodiæ. *Nos Cornelium Epiſcopum ſanctiſſimæ Catholicæ Eccleſiæ electum à Deo omnipotente & Chriſto Domino noſtro ſcimus. Nos errorem noſtrum confitemur; nos impoſturam paſſi ſumus; circumventi*

Cornelius epiſt. 46. apud Cyprianum.

Libellus à Clericis oblatus Cornelio.

Digitized by Google

ſumus perfidiâ & loquacitate captioſâ. Nam & ſi videbamur quaſi quamdam communicationem cum ſchiſmatico & hæretico homine habuiſſe, ſincera tamen mens noſtra ſemper in Eccleſia fuit. Nec enim ignoramus verum Deum eſſe, unum Chriſtum eſſe Dominum, quem confeſſi ſumus, unum Spiritum Sanctum, unum Epiſcopum in Eccleſia Catholica eſſe debere. Poſt recitatum à ſingulis ſucceſſivè iſtum libellum Maximum in ſuum Sacerdotii gradum reſtituit Cornelius, alios tantum recepit. Poſtmodum eâdem ipsâ horâ eodemque momento nullâ interpoſitâ procraſtinatione per Nicephorum Acoluthum rerum geſtarum narrationem tranſmiſit Cypriano; ut & ipſe cæteris Eccleſiis eam tranſmitteret. Factus certior Cyprianus tam celebris palinodiæ Cornelio ſcripſit gratulatorias, ut decebat amicum. Collecta Romæ haud multò poſt à Cornelio Synodus ſexaginta antiſtitum ſentiens ſuô in errore durare mordicus Novatianum, nec ullâ viâ poſſe invitari ad palinodiam vibravit in pervicacem Pſeudo-Pontificem anathema,

Certior factus per Cornelium Cyprianus reſipiſcentiæ Clericorũ.

Collecta Synodus à Cornelio excommunicat Novati.

iuſſitque abſtentos eſſe, quotquot illius inhumaniſſimæ hæreſi adhæreſcerent. Emerſerat interim Carthagine adverſus Cyprianum novus Epiſcopus Fortunatus; qui probè ſciens neminem eſſe Catholicum, qui communionis vinculo junctus non eſſet cum Sede Apoſtolica: authorem Schiſmatis Feliciſſimum cum ejuſdem farinæ Schiſmaticis delegavit Romam continuò; ut à Cornelio communicationem ſubriperet. Subodoratus tamen veritatem Cornelius nec dignatus videre eos nec audire, rejecit velut indignos: idque teſtatur Cyprianus ipſe his verbis: *Legi literas tuas, frater chariſſimo.....quibus ſignificaſti Feliciſſimum hoſtem Chriſti non novum ſed jampridem ob crimina ſua plurima & graviſſima abſtentum... rejectum à te illic eſſe; & cum veniſſet ſtipatus catervà & factione deſperatorum vigore pleno, quo Epiſcopos agere oportet; pulſum de Eccleſia eſſe.*

Rejecti à Cornelio. Schiſmatici.

Epiſt. 55 ad Cornel.

§. VI.

Repulſi ſemel Feliciſſimis & ſchiſ-

Digitized by Google

matici à Cornelio fecere, quod hæretici ſolēt; inſtantes ſcilicet importunè opportunè flagitarũt ab eo pertinaciter, ſuę ut ſanctitati ſcriptas ab Affricanis literas legeret; in iis eſſe quæ ab eo oporteret cognoſci. Cumque S. Pontifex nec clamoribus moveretur nec precibus, in hac rerum deſperatione comminantes clamarunt; ſi allatas à ſe literas non acciperet, certos ſe eſſe recitare eas publicè ex pulpito, ut innoteſcerent omnibus; addidere adhuc turpia & indigniſſima, prout furor & ſtomachus ſuggerebant. His procacium minis factus Cornelius paulò turbatior Cypriano ſtatim ſcripſit ſuaviſſimas querimonias; quod navigantibus Romam ejus hoſtibus non curaſſet ſe præmonere de profectione illorum, quò validius petulantes retunderet. Cyprianus è contra probaturus non intempeſtivum fuiſſe ſuum ipſius ſilentium eâ rerum & temporum circumſtantiâ reſcribens Cornelio inquit, viſum ſibi ſupervacaneum feſtinanter de hac re illi ſcribere & tantâ ſollicitudine; non opus eſſe, nec id exigere rem præſentem; maximè cum probè noſſet

Protervia Schiſmaticorum in Cornel.

Querimoniæ Cornelii ad Cyprian.

Cypriani literæ ad Cornel.

noſſet & Fortunatum, qui mittebat legationem & Feliciſſimum qui obibat: eſſe ambos abſtentos, idque Africanorum literis illi eſſe compertum: cenſuiſſe proinde non modo abſonum ſed indecorum præmonere ejus beatitudinem de his ineptiis: ſatis ſuperque eſſe audire mittentis & venientium nomina, ut non dignaretur eos ſuo alloquio. *Quod autem*, ait, *tibi de Fortunato iſto Pſeudo-Epiſcopo à paucis & inveteratis hæreticis conſtituto non ſtatim tibi ſcripſi, frater cariſſime; non ea res erat, quæ in notitiam tuam deberet per nos feſtinato ſtatim quaſi magna & metuenda perferri: maximè quando Fortunati nomen jam ſatis noſſes, qui eſt unus ex quinque presbyteris jam pridem de Eccleſia profugis & ſententiâ Coëpiſcoporum noſtrorum & graviſſimorum virorum nuper abſtentis, ſuper hac re priore anno ad te literas fecerunt. Item Feliciſſimum ſigniferum ſeditionis recognoſceres, qui & ipſe in iiſdem Coëpiſcoporum noſtrorum factis ad te pridem literis continetur; Qui non tantum ab his iſtic abſtentus ſed abs te illic nuper*

Epiſt. 55. ad Cornel.

de Eccleſia pulſus eſt. Cum hac in notitia tua eſſe conſiderem, & pro certo hærere memoriæ & diſciplinæ tuæ ſcirem, neceſſarium non putavi celeriter & urgenter hæreticorum tibi ineptias nuntiandas. Neque enim ad Catholicæ Eccleſiæ majeſtatem pariter ac dignitatem pertinere debet, quid apud ſe hæreticorum & ſchiſmaticorum moliatur audacia.

§. VII.

Non contentus Cornelius hoc commercio literarum & charitatis cum Cypriano memor ſe non minus paſtorem Orientis eſſe quam Occidentis, eique incumbere ex debito paſtoralis officii, *confirmare ſuos fratres*, id eſt Epiſcopos, ſiqui vacillarent in fide; vel occupare ſuâ prudentiâ, ne *inimicus homo ſupra bonam ſementem ſuperſeminaret zizania*, Novatianus ſcilicet ſuo errore Orientem inficeret: prolixam eo conſilio ſcripſit Epiſtolam ad Fabium Epiſcopum Antiochenum. Executus in ea omnia ex vero, originem ſchiſmatis & progreſſum, qui Novatiano primùm imprudenter adhæſerant, qui

deſecerant; Novatiani maximè mores corruptiſſimos, artes, calumnias, convitia & errorem inhumaniſſimum de pœnitentibus non admittendis, affecit tam feliciter eâ narratione Hippolytum ejuſdem Eccleſię ſacerdotem jam Novatianizantem obſtinatiſſimo animo, ut reſipuerit. Idque indicavit tum maximè cum rogatus imminente martyrio, utri ſectæ ſe fateretur addictum, & quam veriorem eſſe cenſeret: *Execratus dogma* * *Novati eam fidem dixit eſſe ſervandam, quam Petri Cathedra* & tunc in ea ſedens Cornelius *cuſtodiret*. Cum ferveret atrociſſima perſecutio ſuiſque paſſim edictis Chriſtianos demeterent Imperatores Romæ præſertim, ubi nec in Cryptis fas erat miſſas agere; Lupicinum Viennenſem monuit Cornelius ſuis literis: ut graſſante illâ carnificinâ ſuos adhortaretur opportunè importunè; ne timerent eos qui poterant occidere corpus non animam, ſed qui utrumque. *Exhortetur*, ait, *Charitas veſtra omnes credentes in Chriſtum, ne timeant eos, qui occidunt corpus, ſed potius eum qui habet cor-*

*Lege Novatiani.

Martyrol. Rom. die 30. Ianuar.

pus & animam poteſtatem perdendi. Subdit deinde moriturum ſe propediem, idque ſibi manifeſtatum divinitus, & ad hoc poſtulat ejus preces: *Ora*, ait, *ut perficiamus curſum noſtrum nobis à Domino revelatum.* Nihil optabat ardentius ſancta anima, quam diſſolvi & citò eſſe cum Chriſto: non datum tamen illi, niſi poſt devoratum exilium, eoque conſilio mittitur Centumcellas: ſparſa tam glorioſæ relegationis fama volavit ſtatim in Affricam ad Cyprianum, qui & illico ſcripſit ei gratulatorias in hunc modum: *Cognovimus frater cariſſimè fi-*
Epiſt. 57. *dei ac virtutis veſtræ teſtimonia glorioſa & confeſſionis veſtræ honorem ſic exultanter accepimus, ut in meritis ac laudibus veſtris nos quoque participes & ſocios computemus.* Poſt nonnulla hæc addit: *Exprimi ſatis non poteſt, quanta iſtic exultatio fuerit & quanta lœtitia, cum de vobis fortia & proſpera comperiſſemus; ducem te illic confeſſionis fratribus extitiſſe . . . ut dum præcedis ad gloriam, multos feceris glorię comites, & confeſſorem populum ſuaſeris fieri, dum primus*

Digitized by Google

paratus es pro omnibus confiteri. Subdit demum: *dum fortes eſtis, magna cœteris fratribus fortitudinis exempla tribuiſtis. Docuiſtis granditer Deum timere, Chriſto firmiter adhærere*, &c.

§. VIII.

Nec ſolùm crebræ à multis literæ conveniebant illuc Cornelium exulantem; erat & infinita hominum multitudo fortunæ omnis & ſexus, quæ charitatis ſtimulo concurrebat paſſim ad illum; adeo ut videretur Roma exire extra Romam. Et hæc cum Voluſiano Auguſto comperta eſſent, juſſit incunctanter inde eum Romam perduci; vocatumque coram ſe in *Tellude* ſive Telluris templo adſtante Præfecto Vrbis imperiosè illum per modum interrogantis alloquitur: *Sic definiſti & deſtinaſti vitam ducere tam obſtinatè, ut neque Deos conſideres, nec præcepta Principum reverearis, nec minas reformides noſtras; & literas accipias & dirigas contra Rempublicam. Ego*; inquit Cornelius voce maſ- *Reſponſum*

Digitized by Google

Corne-
lij.

culâ, *nullas accepi literas contra Rempublicam; id enim Chriſtiani non ſolent, ſed de Corona Domini*, id eſt de chriſtiana plebe, quæ cingebat Romæ Cornelium velut corona. Ad quæ infrendens & ſpumans Voluſianus imperavit amoveri eum feſtinanter à loco; plumbatiſque cœſum in vultu vel facere Marti citra moram in ejus templo vel mori. Datus Cereali Cornelius rapiendus illuc ad ſacrificium ſuas in ædes invitatur ab eo; ut in iis fieret medicus & Thaumaturgus: ſic enim miſerè jacebat ab annis quinque vel quindecim ejus uxor Salluſtia; ut inſtructa membris iis careret, haberet tantum ad tormentum aut ornamentum corporis, non ad uſum ob paralyſim, quâ tenebatur. Ingreſſus domum Cornelius affuſus ſtatim ad preces: *Domine Deus*, ait, *creator omnium viſibilium & inviſibilium, qui dignatus es ad nos peccatores venire ut nos ſalvos faceres: tu erige alliſam hanc famulam tuam & dona ei miſericordiam tuam, ſicut cœcò nato donaſti lumen ad cognoſcendam gloriam*

tuam Apprehenſâ poſt modum manu languentis fœminæ confidenter & velut deſpoticè imperavit : *In nomine Jeſu Chriſti Nazareni ſurge & ſta ſuper pedes tuos.* Continuò facta vegetior non ſurrexit tantum Sallustia, ſed expedivit totum corpus ad operas, pedes ad greſſus, manus ad infundendam aquam & deferendam pelvim, linguam ad iſtas voces : *Verè Chriſtus eſt Deus & Dei filius :* converſaque ad Cornelium ; *Per Chriſtum*, inquit, *te conjuro, baptiza me :* ſimulque porrexit aquam cum pelvi. Nec mora, collatum ſtatim fuit illi à Cornelio ſalutare hoc ſacramentum; collatum & militibus, qui perculſi hoc repentino miraculo ſe ad ejus pedes advoluerunt clamantes baptizari ſe velle : intinctis dedit ad cumulum corpus & ſanguinem Jeſu Chriſti, ut fiebat ex uſu. Horum omnium factus certior Voluſianus jubet illico pertrahi omnes cum Cornelio extra Vrbem in templum Martis & ſacrificari illic ab omnibus vel mactari : idque cum detrectaſſent fortiter minuti capite omnes fuere, & inter illos * illorum ca- **Chriſti*

255. put & pater beatiſſimus Papa Corne-
Septem. lius. Illius ſedes, ſi computetur tem-
14. pus, fuit breviſſima; cum dies tantùm quatuordecim, menſes quinque ſolidos præfuerit ſupra annum: diuturna verò, ſi expendamus, quæ excellenter geſſit. Egregium maximè, quod adhortante Lucinâ matronâ nobiliſſima Apoſtolorum Principum cineres è Catacumbis collocaverit in locum digniorem; Paulum ſcilicet in via Oſtienſi; Petrum verò in Vaticano poſuerit: rem tamen negat Baronius ad annum 221. n. 5. & 6.

SANCTUS LUCIUS
Papa XXIII.

Chriſt. 255. *Gallieni & Voluſiani Impp.* 3.

CUM ſanctitate morum Prophyrii filius Lucius presbyter natali Romæ præluceret ut *lucerna ardens & lucens*; poſt truncatum Cornelium

ſupra Petri cathedram *poſitus*, *ut ſupra candelabrum*, toti illuxit orbi, cum Urbi. Debita vel collata illi fuit principalis hæc dignitas in exilii præmium; quod lætanter adierat & ſubierat fortiter cum deceſſore Cornelio. Nec ſolum merces exilii fuit ſummus hic apex, fuit & cauſa. Veriti enim ſimulachrorum pontifices, ne deturbaret aras Deorum, ſi permitteretur degere intra Urbem; vix electum relegarunt eum continuò. Rem ſcriptores produnt, non locum. Futura erat, videbatur ſaltem ad patientis vel infligentis vitam fore hæc pœna: poſt menſes tamen pauculos ærumnarum victor & tyrannorum permittitur ſedem reſumere, quam vix per momentum inſederat. Quâ causâ & quo autore Romæ contigerit ea felicitas; nec verbum inter hiſtoricos; affirmat tantum Liber Pontificalis factum id nutu divino. Pervaſit illico Affricam rumor tam glorioſi & inexpectati reditus Lucii; nec Cyprianum fefellit: qui ſtatim illi, quod fecerat paulò antea poſt ejus electionem, ſcripſit literas ſuaviſſimas, in quibus mixturâ ſapientiſſimâ inſ-

perſi erant affectus ſinceræ charitatis gratulationes, laudes & vota: gratulationes de reditu; laudes de virtutis exemplo; vota de colloquio. *Nuper quidem*, inquit Epiſtolâ 58. *tibi frater cariſſime, gratulati ſumus; cum te honore geminato in Eccleſiæ ſuæ adminiſtratione confeſſorem pariter & ſacerdotem conſtituit divina dignatio. Sed & nunc non minus tibi & comitibus tuis atque univerſæ fraternitati gratulamur, quod cum eâdem gloriâ & laudibus veſtris reduces vos denuò ad nos fecerit benigna Domini & larga protectio: ut paſcendo gregi paſtor & gubernandæ navi gubernator & plebi regendæ rector redderetur; & appareret relegationem veſtram ſic divinitus eſſe diſpoſitam, non ut Epiſcopus relegatus & pulſus Eccleſiæ deeſſet, ſed ut ad Eccleſiam major rediret.*

§. I.

Huic gratulationis officio ſubnectens iſtas laudes: *Regredientibus vobis*, inquit, *abbreviata non eſt Epiſcopo confeſſionis ſuæ dignitas, ſed ma-*

Digitized by Google

gis crevit ſacerdotalis auctoritas : ut altari Dei aſſiſtat Antiſtes, qui ad confeſſionis arma ſumenda & facienda martyria non verbis plebem ſed factis cohortetur; & imminente Antichriſto paret ad prælium milites non ſolum ſermonis & vocis incitamento, ſed fidei & virtutis exemplo.... Atque utinam, ſubdit poſt nonnulla per impatientiam deſiderii, quo flagrabat, *nunc facultas daretur, frater cariſſime; ut intereſſe illic vobis regredientibus poſſemus, qui vos mutuâ charitate diligimus; ut adventus veſtri lætiſſimum fructum præſentes cum cæteris quoque caperemus. Quæ illic exultatio omnium fratrum? Qui concurſus atque complexus occurrentium ſingulorum? Vix oculis adhærentium ſatis poteſt fieri; vix vultus ipſi atque oculi plebis poſſunt videndo ſatiari.* Subjungit demum ſcribere ſe ideo has literas, ut eſſent indices & charitatis & gaudii; non ſolum ſe & coëpiſcopos gratias Deò agere ſed & offerre preces pro eo. *Vicarias pro nobis ego & collegæ & fraternitas omnis has ad vos literas mittimus, fra-* Laudes. Lucii.

ter cariſſime; & repreſentantes vobis per epiſtolam gaudium noſtrum fida obſequia charitatis expromimus: hîc quoque in ſacrificiis atque orationibus noſtris non ceſſantes Deo Patri & Chriſto filio ejus Domino noſtro gratias agere & orare pariter ac petere; ut qui perfectus eſt atque perficiens, cuſtodiat atque perficiat in vobis confeſſionis veſtræ glorioſam coronam: qui & ad hoc vos fortaſſe revocavit, ne gloria eſset occulta, ſi foris eſſent confeſſionis veſtræ conſummata martyria. Nam victima quæ fraternitati præbet exemplum virtutis & fidei, præſentibus debet fratribus immolari.

§. II.

Statuta Lucii.

Redux in Urbem ſanctiſſimus Pontifex fertur edixiſſe complura ſapienter; illud inprimis ne ad mulierum domos clericus incomitatus accederet; arcendas ab Eccleſiarum liminibus, quæ venientes admitterent; abdicandos, qui irent: debere neminem ſub eodem habitare tecto cum fœmina, niſi illa ſoror fuerit aut affinis. Nihil

ſapientius ſtatuit, quam cum occurſurus obtrectatorum calumniis [quales à Novatiano fictæ & ſparſæ fuerant in Cornelium Papam,] decrevit ut presbyteri duo, tres diaconi Epiſcopo adhærerent ſemper & ſemper, nec deſererent umquam vel per momentum; idque *propter teſtimonium Eccleſiæ*, ut habet Liber Pontificalis. Concors inſuper Lucius ſententiæ deceſſoris Cornelii circa lapſos cenſuit dandam iis eſſe pacem & veniam, ſuiſque id Encyclicis ſignificavit Epiſcopis: idque teſtatur Cyprianus, cum inquit Epiſtolâ 67. ad Stephanum Papam. *Servandus eſt anteceſſorum veſtrorum beatorum martyrum Cornelii & Lucii honor glorioſus: quorum memoriam cum nos honoremus, multò magis tu frater cariſſime, honorificare & ſervare gravitate & autoritate tuâ debes, qui vicarius & ſucceſſor eorum factus es. Illi enim pleni Spiritu Dei & in glorioſo martyrio conſtituti dandam eſſe lapſis pacem cenſuerunt; & pœnitentiâ actâ fructum communicationis & pacis negandum non eſſe literis ſuis ſignaverunt.* Poſt iſta damnatur capi-

Digitized by Google

tis : cumque eo vultu, quo martyres, raperetur ad ſcenam feriendus enſe carnificis; eâ ipsâ horâ tam ſerenus animo, quam liber memor ſe paſtorem eſſe Eccleſiæ bona ejus mobilia, calices ſcilicet, ſcyphos, patenas, cruces & alia id genus vaſa pretioſiſſima ſervanda tradidit Stephano. *Hic*, ait liber de Romanis Pontificibus, *omnem poteſtatem Eccleſiæ dedit Archidiacono ſuo Stephano, dum ad paſſionem pergeret.* Et hanc * ſubiit poſt devoratas cruces completo nondum Pontificatus biennio.

Chriſti 257. Mart. 4.

S. STEPHANUS Papa XXIV.

Chriſti 257. Galli & Voluſiani Impp. 4.

NOn coronam tantum in præmiū meruit in cœlo Lucius; habuit & in terris * coronam in ſucceſſorem, cum Stephanum. Educatus Romæ à patre Julio ſic enituit ſuis moribus;

* στεφανός. *Corona.*

ut provectus à Cornelio in Archidiaconum S. Eccleſiæ dignus fuerit habitus, cui ab euntibus ad martyrium Cornelio & Lucio bonorum Eccleſiæ mobilium cuſtodia traderetur. Promotus in eam ſedem vir ſanctus vix libaverat, ſi quæ ſint, ejus delitias; cum irruerunt in ejus caput continuò non curæ ſolum Urbis, ſed orbis. Deturbati ſuis ſedibus fuerant duo Hiſpani præſules Libellatici nec non & ob alia crimina, quæ admiſerant, Baſilides Legionenſis & Martialis Aſturicenſis: idque ferebant impatientiſſimè. Cumque ſitirent totis medullis recuperare cathedras, quas amiſerant; nec id poſſent ex diſciplina ſæculi, mordicuſque obtenderent Fideles, qui in eorum vicem Sabinum & Felicem ſubrogandos curaverant, finxere, finxit ſaltem Baſilides abdicare ſe ultro, ſatisque eſſe: *ſi ſibi vel laïco communicare contingeret*, ut habet Cyprianus Epiſtolâ 68. Mutatus tamen haud multò poſt veſtimentum, ovis, quod præferebat, poſuit ut fieret lupus rapax; quâ dolis ſcilicet, quâ mendaciis extorqueret à Stepha-

Digitized by Google

no, quod tam impensè optabat dominari in clero, cujus rei dulcedine tenebatur mirum in modum. Profectus hoc conſilio Romam inſtructus ſupellectile mendaciorum propinavit ea affatim & impudenter ſancto Pontifici; abdicatum ſe; immerenti irrogatam ab invidis hanc contumeliam; ejus eſſe partes reſarcire plenitudine poteſtatis, quod fecerant injuſtiſſimè illique reſtituere infulas, quas ademerant. Perſuaſus Stephanus verbis & Epiſcoporum Hiſpanorum ſilentio, qui non ſe certiorem feciſſent eorum ſcelerum, quorum poſtulatus erat Baſilides ratus innocentem eſſe, quem nemo accuſabat, ſedi reſtituit. Si quæ ſit culpa in hoc facinore, tota eſt Baſilidis, in Stephano autem ne quidem umbram agnoſcit Cyprianus. Liquet his verbis in jam laudata epiſtola 68. in qua illum excuſat, *Baſilides poſt crimina ſua detecta & conſcientiam etiam propriâ confeſſione nudatam Romam pergens Stephanum collegam noſtrum longè poſitum & geſta rei & tacitæ veritatis ignarum fefellit; ut exambiret reponi in Epiſcopatu, de*

Reſtituit Baſilidem.

quo fuerat juſtè depoſitus. Hæc eò pertinent, ut Baſilidis non tam abolita ſint, quam cumulata delicta, ut ad ſuperiora peccata ejus fallaciæ & circumventionis crimen acceſſerit. Neque enim tam culpandus eſt ille, cui negligenter obreptum eſt; quam hic accuſandus, qui fraudulenter obrepſit.

§. I.

Si quam admiſit culpam Stephanus per imprudentiam in reſtitutione Baſilidis, reſarcit eam ſplendidè exauguratione Marciani Arelatenſis. Totus erat hic Epiſcopus, ut promoveret Novatiani hæreſim; negaret ſcilicet diabolica crudelitate lapſis ſincerè reſipiſcentibus pacem & Chriſtianæ lenitatis ſubſidium: & ad hoc, ut par erat, effervеſcebant Gallicani Epiſcopi. Cumque ſentirent fruſtra ſe ſuis epiſtolis tundere obſtinatum antiſtitem, confugere ad ſupremum orbis tribunal, Stephano ſcilicet ſcripſere expoſtulatorias adverſus illum, S. Fauſtinus præſertim Lugdunenſis; qui ſcripſit etiam Cypriano, ut & ipſe

ſuas eodem argumento literas daret ad Stephanum. *Fauſtinus*, ait Epiſt. 67. *collega noſter Lugduni conſiſtens frater cariſſime, ſemel atque iterum mihi ſcripſit ſignificans ea, quæ etiam vobis ſcio utique nuntiata tam ab eo, quam cœteris Coëpiſcopis noſtris in eadem provincia conſtitutis; quod Martianus Arelate conſiſtens Novatiano ſe conjunxerit.* Executi fusè his ad Stephanum literis, quanta ſtrages animarum graſſaretur paſſim in hac parochiâ; quantæ oves fierent præda diaboli inhumanitate paſtoris; quam ſurdus ille ſuorum collegarum monitis, quam eſſet adamantinus lachrimis ſeriò reſipiſcentium; pulſantibus cum gemitibus & dolore claudi Eccleſiam, redeuntibus negari veniam, vulneratis medelam, ſpem tolli, deſperationem ſolum relinqui: Denuntiabant poſt iſta neceſſe eſſe, ut tolleretur unus, ne omnes; quodque unus & ſolus ille poterat eminentiâ dignitatis, curaret Arelatenſibus paſtorem dari pro lupo: dirigendas ab illo in hoc conſilium ad Epiſcopos populumque Arelatenſem literas, qui-

bus excommunicato hæretico Antiſtite facultas eis fieret ſubrogandi alterius in ejus locum. *Dirigantur*, ait loco laudato, *in provinciam & ad plebem Arelate conſiſtentem à te literæ; quibus abſtento Marciano alius in locum ejus ſubſtituatur; & grex Chriſti, qui in hodiernum ab illo diſſipatus & vulneratus contemnitur, colligatur. Sufficiat multos illic ex fratribus noſtris annis iſtis ſuperioribus exceſſiſſe ſine pace: vel cœteris ſubveniatur, qui ſuperſunt.* Rogat ad calcem, ut dignetur eum certiorem facere, quis occuparet hanc ſedem; ut noſſet ad quem deberet mittere ſuos fratres & cui ſcribere: *Significa planè nobis, quis in locum Marciani Arelate fuerit ſubſtitutus; ut ſciamus ad quem fratres noſtros dirigere & cui ſcribere debeamus.* Quid reſcripſerit provocatus tam amanter ſanctiſſimus Pontifex, & an Novatianizantem Epiſcopum percuſſerit anathemate ex Cypriani conſilio: nec veſtigium reperitur in ſcriptoribus Eccleſiaſticis. Geſſiſſe tamen illum fortiter in his anguſtiis, quæ incumbebant & quæ decebat, colligimus

plus quam vero ſimiliter ex his; quæ geſſit luculenter adverſus duas orbis partes Affricam & Aſiam ipſumque oraculum & ſtuporem orbis Cyprianum in cauſa Rebaptizantium.

§. II.

Sic ſe res habuit. Erant in Aſia Minori nonnulli præſules, qui collectâ anno 358. Iconii in Phrygia ſynodo perſuaſi repudiandum eſſe omne baptiſma, quod ſit extra Eccleſiam, definierant rebaptizatum iri etiam, qui ſervatis ſervandis, formâ ſcilicet & materiâ, baptizati fuerant ab hæreticis. Decreti hujus factus certior Stephanus abrogavit continuò ut minus orthodoxum; plenuſque zelo Domini pro veritate ſcripſit robuſtiſſimas literas, quibus his denuntiabat Epiſcopis ſe nolle communicare cum illis, quod rebaptizarent hæreticos. *Antea quidem*, ait Euſebius, *literas ſcripſerat de Heleno & de Firmiliano & de omnibus denique ſacerdotibus per Ciliciam, Cappadociam, cunctaſque finitimas provincias conſtitutis, ſeſe ob-*

L. 7. hiſt. c. 5. ex verſ. Valeſii.

illam cauſam ab eorum communione diſceſſurum; quod hæreticos rebaptizarent. Nec in eos tantum præſules efferbuit hic pietatis furor; exarſit quoque in eorum oratores Epiſcopos, qui omnium nomine venerant ad Stephanum reddituri rationem eorum, quæ ab iis decreta fuerant in Concilio: non dignatus tamen videre eos neque audire S. Pontifex vetuit inſuper miſericorditer ſæviens ne quis juvaret contumaces hoſpitio. Jude Firmiliani ſtomachus & literæ virulentæ in Stephanum: cum ſuâ ad Cyprianum Epiſtolâ de illo ironicè: *Quid enim*, ait, *humilius, quam cum tot Epiſcopis per totum mundum diſſenſiſſe? .... à quibus legatos Epiſcopos patienter ſatis & leniter ſuſcepit, ut eos nec ad ſermonem colloquii ſaltem communis admitteret: adhuc inſuper dilectionis & charitatis memor præciperet fraternitati univerſæ, ne quis eos in ſuam domum reciperet; ut venientibus non ſolum pax & communio, ſed tectum & hoſpitium negaretur. Hoc eſt ſervaſſe unitatem ſpiritus in conjunctione pacis, abſcindere ſe à charitatis uni-*

Digitized by Google

tate & alienum ſe per omnia fratribus facere, & contra ſacramentum & fidem contumaci furore diſcordiæ rebellare? Ab Oriente graſſata in Affricam Rebaptizantium hæreſis aſſertores habuit Epiſcopos illius tractus & ipſum Cyprianum. Inſtaurando errori collectæ Carthagini ab eo ſynodi tres intra eumdem annum 258. Prima, quæ nonnullorum præſulùm, cenſuit neminem baptizari poſſe extra Eccleſiam, eo quod ſit unum baptiſma conſtitutum in ea. *Cenſentes ſcilicet & pro certo tenentes, neminem foris baptizari extra Eccleſiam poſſe, cum ſit baptiſmum unum in S. Eccleſia conſtitutum.* In ſecunda, quæ longè numeroſior & ſeptuaginta unius Epiſcoporum tam ex provincia Affricæ quam Numidiæ, cantata iterum eadem cantilena. *Cum in unum conveniſſemus,* inquit, *tam provinciæ Affricæ quam Numidiæ Epiſcopi numero ſeptuaginta & unus, hoc item denuò ſententiâ noſtra firmavimus.*

Epiſt. 70. ad Januarium.

Epiſt. ad Jubaianum.

§. III.

Viſa gravis, uti erat re ipsâ, hæc definitio & digna, quæ ſcriberetur

ſummo Pontifici: miſſa illi hoc conſilio ſynodica à Patribus; in qua ei ſignificant definitum omnium calculis collatum ab hæreticis baptiſma nullius eſſe momenti. Illius ſcriptor Cyprianus Epiſtolâ 72. narrat à ſe convocatum concilium; in eo multa tranſacta, unum præſertim: *De quo*, inquit, *vel maximè tibi ſcribendum & cum tua gravitate ac ſapientia conferendum fuit, quod magis pertineat & ad ſacerdotalem autoritatem & ad Catholicæ Eccleſiæ unitatem pariter & dignitatem de divinæ diſpoſitionis ordinatione venientem: eos qui ſint foris extra Eccleſiam tincti & apud hæreticos & ſchiſmaticos prophanæ aquæ labe maculati, quando ad nos & ad Eccleſiam, quæ una eſt, venerint, baptizari oportere: eò quod parum ſit eis manum imponere ad accipiendum Spiritum S. niſi accipiant & baptiſmum.* Subdit exertè paulò inferiùs: *Baptiſmum non eſſe, quo hæretici utuntur.* Ad hæc tam nova reſcripſit Stephanus ſapienter & Apoſtolicè multiſque, ut par erat & poſtulabat cauſæ neceſſitas. Ex tam excellentibus

Digitized by Google

literis nil apud Cyprianum ſupereſt niſi unum illud dumtaxat, quo explodens definitionem temerariam Affricanorum præſulum decrevit nihil innovandum circa hæreticos, admiſſumque eos iri citra rebaptizationem. *Si quis ergo*, inquit, *à quâcumque hæreſi venerit ad nos, nihil innovetur, niſi quod traditum eſt; ut manus imponatur illi in pœnitentiam: cum ipſi hæretici propriè alterutrum ad ſe venientes non baptizent, ſed communicent tantum.* Ad has Stephani literas & inexpectatum illud decretum incanduere in illum haud dubiè Affricani Epiſcopi, nullus atrocius Cypriano, ſaltem non liquet: ille enim tam eximiæ ſanctitatis oblitus non modo reverentiæ, quâ ſuum debebat proſequi ſuperiorem, ſed & charitatis & modeſtiæ chriſtianæ, totus eſt fermè in convitiis, adeo ut ipſo literarum limine prorumpat in contumelias indigniſſimas adverſus Stephanum. *Quia deſideraſti*, inquit, *in notitiam tuam perferri, quæ mihi ad literas noſtras Stephanus frater noſter reſcripſerit, miſi tibi reſcripti ejus exemplum.*

Epiſt. 74. ad Pompei.

Quo

Quo lecto magis ac magis ejus errorem denotabis, qui hæreticorum cauſam contra Chriſtianos & contra Eccleſiam Dei aſſerere conatur: nam inter cœtera vel ſuperba vel ad rem non pertinentia vel ſibi ipſi contraria, quæ imperitè vel improvidè ſcripſit, illud etiam adjunxit, ſi quis ergo à quâcumque hæreſi venerit ad nos, nihil innovetur, &c. Sed nondum finis, proſiluit adhuc ultra Carthaginenſis Epiſcopus. Congregatis enim haud multò poſt Carthagine ex Africa, Mauritania & Numidiâ octoginta ſeptem Epiſcopis ipſo conſeſſus initio hortaturus omnes ſuam citra metum proferre ſententiam circa hæreticorum baptiſma ſuppreſſo per faſtidium aut arrogantiam Stephani nomine, de illo tamen ſubobſcurè faciens mentionem & parum reverenter hæc non ſine ſtomacho dixit adſtantibus: *Supereſt, ut de hac ipſa re ſinguli, quid ſentiamus, proferamus; neminem iudicantes aut à jure communionis aliquem, ſi diverſum ſenſerit, amoventes. Neque enim quiſquam noſtrum Epiſcopum ſe eſſe Epiſ-*

coporum conſtituit, aut tyrannico terrore ad obſervandi neceſſitatem Collegas ſuos adigit.

§. IV.

In hac ſententia nihil in Stephanum Cyprianus diſertè & nominatim: viſum ei ſatis alluſione irriſoriâ illum perſtringere & deſignare luculenter titulo *Epiſcopi Epiſcoporum*, quem haud dubiè S. Papa præfixerat ex uſu ſuo decreto, ut Zephyrinus antea. Innuit inſuper ſibi & ſuis collegis excommunicationis pœnam interminatum Stephanum, ni reſilirent. Indignatus his minis Cyprianus ſciens commotiores in eum eſſe Orientales Firmiliano Cæſareenſi in Cappadocia Rebaptizantium Coryphæo legavit ſtatim Rogatianum diaconum cum ſatyra vel literis virulentis & ejuſdem ſtyli, quales jam ſcripſerat Pompeio Sabratenſi adverſus Stephanum: miſit etiam ipſas ejuſdem ſancti viri literas ad ſe ſcriptas, quò confutaret eas & ill:. Horret animus hîc ſubnectere & ,ene meminiſſe, quæ acti furiis

atque intemperiis incredibilibus & pleni ſtomacho duo illi præſules ructarunt contra Stephanum indigniſſima & quaſi certatim. Et quia non lubet ſigillatim afferre ea; ſatis ſit compendio dicere illâ, quam ſcripſit Cyprianus ad Pompeium, Epiſtolâ inſimulari eum ſuperbiæ, imperitiæ, imprudentiæ, obſtinationis, præſumptionis, cœcitatis animi, pravitatis, ineptiæ, amicitiæ cum hæreticis initæ, inimicitiæ cum Orthodoxis, favoris tandem ſeu advocationis præſtitæ perduellibus. Longè contumelioſior Firmilianus, ſi tamen poſſit, Cypriano reſcribens Epiſtolâ 75. apud Cyprianum hæc præmittit ipſo exordio ex abundantia cordis: *Gratiam referre Stephano poſſumus in hoc, quod per illius INHUMANITATEM nunc effectum ſit; ut fidei & ſapientiæ veſtræ experimentum caperemus.* Ubi tamen aſſeruit poſtea non magis illi ob hoc beneficium referendas eſſe grates, quam Judæ ob traditum Chriſtum in manus peccatorum, ſubdit continuò: *ſed hæc interim quæ à Stephano geſta ſunt, prætereantur;*

Digitized by Google

ne dum AUDACIÆ & INSOLENTIÆ *ejus meminimus de rebus ab eo* IMPROBE *geſtis longiorem mœſtitiam nobis inferamus.* Accuſat illum deinde quod *infamaverit* Petrum & Paulum, ideo & objicit illi manifeſtam *ſtultitiam:* ſuppreſſo poſtmodum ejus nomine hæc in eum elogia congerit per Apoſtrophen : *Quinimmo tu hæreticis omnibus pejor es. Nam cum inde multi cognito errore ſuo ad te veniant, ut Eccleſia verùm lumen accipiant; tu venientium errores adjuvas & obſcurato lumine Eccleſiaſticæ veritatis tenebras hæreticæ noctis accumulas. Cumque ſe illi in peccatis eſſe & nihil gratiæ ſe habere ac propterea ad Eccleſiam venire fateantur; tu eis remiſſionem peccatorum ſubtrahis, quæ in baptiſmo datur; dum dicis eos jam baptizatos & extra Eccleſiam Eccleſiæ gratiam conſecutos.* Nec ſolum exiſtimatus pejor hæreticis, ſed vocatus ignarus & iracundus : *Vide quâ* IMPERITIA *reprehendere audeas eos, qui contra mendacium veritate nituntur... Imperitos etiam*

iracundos atque animoſos eſſe manifeſtum eſt; dum per inopiam conſilii & ſermonis ad iracundiam facilè vertuntur; ut de nullo alio magis quam de TE dicat Scriptura divina, *homo animoſus parit lites & vir iracundus exaggerat peccata.

* *Prov.* 29. 22.

§. V.

Impingit Stephano poſt iſta ſchiſma & apoſtaſiam: *Lites enim & diſſentiones quantas paraſti per Eccleſias totius mundi? Peccatum verò quam magnum TIBI exaggeraſti, quando TE à tot gregibus ſcidiſti? Excidiſti enim TEIPSUM, noli TE fallere: Siquidem ille verè eſt SCHISMATICUS, qui ſe à communione Eccleſiaſticæ unitatis APOSTATAM fecerit. Dum enim putas omnes à TE abſtinere poſſe, ſolum TE ab omnibus abſtinuiſti.* Iſtam laudationem claudit tacito nomine Stephani per faſtidium eumque inconſtantiæ accuſat: *Apud Talem poteſt eſſe unum corpus & unus ſpiritus, apud quem for-*

taſe anima una non eſt? ſic lubrica, mobilis & incerta. Cumulus convitiorum eſt, quod aſſereret Stephanum fautorem eſſe hæreſeos: *Et tamen*, ait, *non pudet Stephanum talibus adverſus Eccleſiam patrocinium præbere & propter hæreticos aſſerendos fraternitatem ſcindere.* Quid adderet Firmilianus poſt tot & tam atrocia? niſi ut mendaciis Cypriani ſtylum acueret in ſanctiſſimum Pontificem; ideo conflaturus invidiam Cypriani in Stephanum adiecit velut epilogum temeritatis & impudentiæ: *Non pudet inſuper Cyprianum Pſeudo-Chriſtum, Pſeudo-Apoſtolum & doloſum operarium dicere? Qui omnia in ſe conſcius eſſe prævenit; ut alteri ea per mendacium objiceret, quæ ipſe ex merito audire deberet.* Non libavit virum ſanctum iſta convitiorum tempeſtas, ſed coronavit: fuere enim virulentæ illæ injuriæ velut duri lapides, quibus fuit impetita & quadamtenus lapidata Stephani innocentia. Verè ſaturatus opprobriis, non ſatiatus. Eaque idcirco tam accuratè exſcribere libuit: tum quia infractam Stephani fortitudinem

explicant & commendant mirum in modum: tum ut intelligant tepidi; quanto ſtudio declinanda ſit iis incandeſcentia, cum calentes Dei amore animas præcipitet in tam luctuoſum naufragium, ſi quando eas invaſerit. Conabatur interim Dionyſius Alexandrinus licet conſentiret in dogma de rebaptizandis hæreticis; reconciliare Orientales cum Stephano; ſcriptæ illi ab eo hoc conſilio ſupplices literæ: *De his omnibus*, Heleno, ſcilicet Firmiliano & reliquis, *Ego ad illum epiſtolam miſi rogans atque obteſtans*, ait ipſemet apud * Euſebium. Utque ſaltem multiplicatis interceſſoribus id extunderet à ſanctiſſimo Papa, Romanos presbyteros Dionyſium & Philemonem ſuis invitavit literis; ut & ipſi incumberent in id opus. Recantaſſe Orientales & adhæſiſſe Stephano poſt Auguſtinum libro tertio contra Creſconium capite ſecundo & tertio putat Baronius & Fileſacus poſt illum ſuis notis in Commonitorium Vincentii Lirinenſis; idque Baronius colligit ex laudata ſuperius à nobis Epiſtola Dionyſij Alexandrini, quæ ſic

* *L. 7. hiſt. c. 5.*

Ad. an. 259. n. 1.

Digitized by Google

incipit: *Scias, frater, cunctas per Orientem Eccleſias, quæ prius ante diſciſſæ, nunc tandem ad unitatem reverſas eſſe.* Ab iis tamen diſſentit Henricus Valeſius ſuis annotationibus in illud caput Euſebij; qui & contendit iſtam Orientalium Eccleſiarum concordiam fuiſſe in hoc ſitam; quod deteſtantes Novatiani errorem, in quem fuerant propenſiores, Lapſos recipiendos eſſe ſtatuerint. De Affricanis quin ſenſerint idem, quod Stephanus nulla eſt dubitatio: idque prodit Hieronymus, cum adverſus Luciferianos mentionem faciens beati Cypriani & Affricanæ ſynodi reprobantis hæreticorum baptiſma diſertè ait, abrogatum ab ea vetus decretum. *Denique*, ait, *illi ipſi Epiſcopi, qui rebaptizandos hæreticos cum eo ſtatuerant, ad antiquam conſuetudinem revoluti novum emiſere decretum.* Idem quoque adſtruit capite nono Commonitorij contra hæreſes Vincentius Lirinenſis; cum laudans Stephanum Papam quod emergenti novitati *cum cœteris quidem collegis ſuis, præ cœteris tamen reſtiterit*; & quærens quis hujus negotij

Digitized by Google

exitus fuerit? reſpondet; *quis utique niſi uſitatus & ſolitus? Retenta eſt ſcilicet antiquitas & exploſa novitas.* Tranſgreſſus poſtea ad Synodum Africanam: *Poſtremò*, inquit, *ipſius Africani Concilij ſive decreti quæ vires? donante Deo nullæ: ſed univerſa tamquam ſomnia, tamquam fabulæ, tamquam ſuperflua, abolita, antiquata, calcata ſunt.* Adeo verum etiam fuit in Stephano; *pro te rogavi, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus confirma fratres tuos*; & Romanam Eccleſiam ejuſque moderatorem eſſe *veritatis columnam & firmamentum.*

§. VI.

Dum his deſudaret Stephanus extra Urbem; conveniebat illum in criptis Hyppolitus deducens ſecum Neophytos ut bapizarentur. Cumque per illos dies juſſu Valeriani & Gallieni Imperatorum promulgatum fuiſſet edictum; ut quiſquis occultum Chriſtianum proderet magiſtratui, donaretur militiæ honore ejuſque inſuper

acciperet facultates; collectos in unum clericos animavit his verbis: *Scitis, quid Imperatores edixerint in nos, fratres cariſſimi; daturum iri Chriſtianorum divitias ei qui primus eos detexerit: qui cœleſtibus inhiant, aſpernantur opes terrenas; quique metuunt Chriſtum, qui poteſt occidere corpus & animam; non pertimeſcunt eos, qui poſſunt corpus dumtaxat*. Concurrebant interim baptizandorum examina eoſque intingebat Stephanus; adeo ut ſemel tincti fuerint in una cripta centum & octo non modo ſexus promiſcui ſed & fortunæ: erant ex illis plures è fœce; erant & nobiles Nemeſius & Olimpius tribuni ambo. Habebat primus filiam unicam, quæ orba à cunabulis apertos habens oculos lumen penitus non videbat; & inde dolor Nemeſio: qui cum nullam à medicis reperiſſet medicinam huic morbo & in ſolis baptiſmi aquis inventurum illam confideret; affuſus pedibus Stephani quam humillimè, *obſecro*, ait, *domine mi Papa, baptiza me & filiam meam; ut & illa illuminetur & noſtras animas eruas de te-*

Digitized by Google

nebris ſempiternis. Servatis, quæ eo ævo ſervabantur ex uſu, intinxit ambos Stephanus: & in hoc ambo ſimiles, quod ex æquo receperint lumen animæ, fidem; diſſimiles, quod filia acceperit & lumen corporis. Ubi enim fuit perſuſa, *Ecce video*, inquit, *hominem, qui tetigit oculos meos & lumen ſplendidum circa eum.* Ab hoc miraculo inditum illi nomen Lucillæ. Sparſum rumore publico hoc miraculum implevit maximè aures Olympii, qui ſapienter colligens eſſe eum cultorem veri numinis, qui cœcam ab utero oculaverat ſolis precibus: advolutus ad pedes Stephani cum uxore Euprepia & Theodulo filio poſtulavit baptiſmi ſacramentum, eoque fuit donatus incunctanter cum iis. Hæc & ejuſmodi cum obiret indeſinenter Stephanus, ſepulturæ præſertim traderet ſanctorum martyrum cineres in cryptis arenariis: audiens Valerianus eſſe illum ſuæ religionis maſtygem & flagellum Deorum perductum ad ſe ſuo iuſſu à lictoribus ſic compellavit eum cum ſtomacho: *Tu ne es, qui Rempublicam conaris evertere &*

ſuaſionibus tuis populum à Deorum cultu recedere ſuades? Ego quidem, continuò ait Stephanus, *non everto Rempublicam, ſed populum adhortor; ut relictis dæmoniis, quæ in idolis coli ſolent, Deum verum agnoſcant & Jeſum Chriſtum quem miſit.* Ergo ne, ſubdidit Imperator, noſter Mars non eſt Deus: ſimulque imperavit, ut ſacrificaturus raperetur ſtatim ad ejus templum.

§. VII.

Vix pervenerat illuc Stephanus, cum evertit hanc molem; nec uſus ad hoc aliis machinis niſi precibus. Vbi enim ſublatis in cœlum oculis plenus fiduciâ, *Domine Deus Pater*, inquit, *qui deſtruxiſti turrim confuſionis in Babylone, deſtrue locum hunc, in quo diabolus ſuperſtitione decipit populos*: cœpit mugire aër ſtatim, fulgura coruſcare, rugire crebra tonitrua; adeo ut percuſſo de cœlis templo corruerit funditus ſaltem ex parte. Fugâ illico conſulere ſibi perterrefacti milites, qui ſtipabant Pontificem,

Digitized by Google

ut nec remanſerit unus unicus ad cuſtodiam : & ſic facta illi occaſio cum ſuis ſe conferendi ad ſuos, qui latebant in cryptis cœmeterii Lucillæ. Ibi, ut alibi, hortatus eos ad patientiam, & ſi opus, ſubeundam mortem pro Chriſto, ſubiit eò loci. Ingreſſi enim milites, qui timore aufugerant, hoc ſacrarium, deprehendere eum operantem ſacris myſteriis; hiſque rite perfunctum & pietate animi, quâ ſolebat, truncarunt ante altare. Felix, qui cruenta Chriſti hoſtia fuerit eâ periodo, quâ incruentam æterno Patri mactaverat. Sic * à corona nominis tranſiit ad immortalem, quam per annos tres, menſes totidem, dies viginti duos ſacræ adminiſtrationis meruerat. Plangentes interim Chriſtiani, quod carerent tanto paſtore, in ea ipſa crypta ſepelierunt illius corpus cum ipſa ſede ſanguine aſperſa, in qua lictores eum peremerant. Inhibuit, ne diaconi & ſacerdotes paſſim ſacris veſtibus uterentur; nec uſpiam quam in Eccleſia, cum intereſſent ſacris myſteriis. Ferunt & edixiſſe, ne clericorum veſtes uſurparent laïci; nè ſi ſecus facerent,

** Chriſti 260. Auguſti 2.*

Statuta Stephani.

Digitized by Google

eâdem plecterentur pœnâ, quâ Balthazar Rex Babyloniæ.

§. VIII.

Non intempeſtivum fuerit nec ingratum lectori; ſi monuerim illum obiter, ſæculi proximè elapſi anno ſexageſimo in honorem hujus ſancti martyris & Pontificis atque ejus nomine à Coſma Medicæo Florentinorum Duce inſtauratam ſodalitatem equitum S. Stephani ad imitationem Jeroſolymitani Hoſpitaliorum Ordinis & ſempiternam memoriam victo-

Spond. ad an. 1554. n. 5. riæ, quam ſecundo Auguſti die illi ſacro retulerat ad oppidum Marcianum. Confirmavit Ordinem Pius quartus illiuſque ſtatuta, decoravitque ampliſſimis privilegiis. Illorum

ann. 1562. domus primaria & templum magnificentiſſimum eſt Piſis: inſigne *Crux rubra* haud abſimilis Melitenſium cruci & prætexta auro in orbem: ſervant regulam Benedictinam profitentes caſtitatem non illibatam, qualem religioſi; ſed conjugalem dumtaxat: nec alios agnoſcunt Præſides ſive ma-

Digitized by Google

gnos Magiſtros, quam magnos Florentinorum Duces.

S. SIXTUS II. Papa XXV.

Chriſti 260. Valeriani & Gallieni Impp. 6.

CLavum Eccleſiæ rexerant hactenus ſapientes Theologi, vel ardentes amoris æſtu Theophili; multumque ſub his ducibus fortunata fuerat Chriſtiana Reſpublica: ut verum eſſet aliquando & in ea, *beatas fore reſpublicas quas philoſophi regerent*, præfectus illi tandem fuit Athenienſis philoſophus Sixtus Secundus. Ex profeſſore ſapientiæ prophanæ factus amator Chriſti, qui ſapientia, dignus fuit, qui eligentium calculis fieret ejus Vicarius poſt interemptum Stephanum. Sedentem in Petri cathedra ſuis ſtatim adiit literis Dionyſius Alexandrinus; cauſa res leviſſima, nè dicam nihili & merus ſcrupulus, qui fecit: ut ibi

trepidaret timore, ubi non erat timor. Recolens enim vir ſanctiſſimus ſe ideo hallucinatum baptizando rurſus hæreticos etiam, quorum ſincerus erat baptiſmus & ex Eccleſiæ ritu; quod inconſulto Stephano Papâ præiviſſet Aſiaticis & Affricanis Rebaptizantibus vel adhæſiſſet, factus cautior ſuo caſu ne rurſus errore laberetur, Sixtum Papam conſuluit in cauſâ omnino facili & minimè intricatâ. Tingente catechumenos Dionyſio aderat cum reliquis vir provectior; qui baptizatus ab hæreticis totus erat, ut exploraret ritus, quos ex uſu obſervabat orthodoxus antiſtes; Et hos cum intellexiſſet eſſe prorſus diſſimiles, ingemiſcens acceſſit ad Dionyſium provolutuſque ad ejus pedes cœpit clamare flebiliter baptiſmum, quo dudum initiatus fuerat, non hujuſmodi eſſe; nec habere quidquam commune cum orthodoxorum baptiſmo; idcirco rogavit illum, ut dignaretur pro ſua charitate reſarcire, quod geſtum perperam fuerat ab hæreticis, & baptizare illum, quomodo Chriſtiani. In re tam perſpicua conſultore non opus erat nec ſuberat nodi

Euſeb. Valeſ. l.7. hiſt. c. 9.

umbra; Gordium tamen nodum in quæſtione tam manifeſta velut *in ſcirpo*, ut dicitur, invenit Dionyſius vel fecit. Liquet iſtis ad Sixtum, *Profectò opus habeo, frater, conſilio tuo & ſententiam tuam expeto, ne fortè ipſe halluciner tali ad me negotio delato.* Quid vacillanti Sixtus reſcripſerit, nuſpiam legimus in ejus literis, cum non extent: reſcripſiſſe tamen eum quod decuit, & quod jam Stephanus cum diſtinctione baptiſmi boni vel mali collati ab hæreticis, conjicimus ex ſapientia viri ſanctiſſimi. Ad eundem haud multò antea vel poſt literas ſcripſit idem Epiſcopus, quibus illum faciebat certiorem erroris Sabelliani; qui per eos dies emerſerat Ptolemaide in Pentapoli: & hunc cum vagientem adhuc confutaſſet ipſe ſcriptis epiſtolis, metueretque nè quid excidiſſet per oſcitantiam; ideo Sixto Papæ miſit illarum exemplar; ut ipſe tamquam veritatis columna & ſummus fidei arbiter approbaret, ſi bene; emendaret eas, ſi malè.

Euſeb. ibid. c. 5.

Monetur Sixtus à Dionyſio.

§. I.

Docebat interim Sixtus Chriſtumque prædicabat in cœmeteriis, quò inferre pedes & illi & Chriſtianis vetitum erat Valeriani reſcripto. Conſcius ergo Imperator nihili à Sixto fieri ejus mandata juſſit continuò, ut raperetur ad templum Martis vel futurus ipſe ſacrificium vel facturus: cumque id pernegaſſet conſtanter & conſtantiſſimè, jubetur ad terrorem & in exemplum truncari eo cœmeterio, in quo peccaverat. Jamque cum multis ducebatur ad martyrium, non trahebatur; ordinante ſic Deo factus illi obviam eâ ipsâ horâ Laurentius ſuum videns Epiſcopum candidatum coronæ paulò poſt coronandum flere illico cœpit non ejus paſſionem, ſed ſuam remanſionem. Poſtmodum ebrius charitate pièque invidens eructaſſe fertur magis quam protuliſſe hæc verba: *Quò progrederis ſine filio pater? Quò ſacerdos ſanctè ſine diacono properas? Numquam ſacrificium ſine miniſtro offerre conſueve-*

Ambroſ. l. 1. de Offic. c. 41.

ras. Quid in me diſplicuit pater? Num degenerem probaſti? Experire certè utrum idoneum miniſtrum elegeris, cui commiſiſti Dominici ſanguinis diſpenſationem? cui conſummandorum conſortium ſacramentorum, huic conſortium tui ſanguinis negas? Vide ne periclitetur judicium tuum, dum fortitudo laudatur: abjectio diſcipuli detrimentum eſt magiſtri. Quid, quod ipſi illuſtres & præſtantes viri diſcipulorum certaminibus magis quam ſuis vincant? Denique Abraham filium obtulit, Petrus Stephanum præmiſit: & tu pater in filio oſtende virtutem tuam: offer quem erudiſti, ut ſecurus judicii tui comitatu nobili pervenias ad coronam. Miratus primùm Sixtus has ſancti Levitæ lachrymas & hæc amoris verba: nec miratus ſolum ſed & miſertus: ideo ex Papa repente mutatus in prophetam ad ſolatium ingemiſcentis Laurentii, ut olor moriturus, cantavit ad ejus aures cantilenam iſtam dulciſſimam: *Noli mœrere fili: non ego te deſero nec derelinquo, ſed majora tibi debentur certamina. Nos* *Sixti Vaticinium.*

quaſi ſenes levioris pugnæ curſum recipimus ; te quaſi juvenem manet glorioſior de tyranno triumphus : mox venies , flere deſiſte ; poſt triduum me ſequeris ; inter ſacerdotem & levitam medius hic numerus decet : non erat tuum ſub magiſtro vincere, quaſi adjutorium quæreres. Quid conſortium paſſionis meæ expetis ? totam tibi hæreditatem ejus dimitto. Quid præſentiam meam requiris ? infirmi diſcipuli magiſtrum præcedunt , fortes ſequuntur ; ut vincant ſine magiſtro , qui jam non indigent magiſterio. Sic & Elias Eliſæum reliquit. Tibi ergo commendo noſtræ virtutis ſucceſſionem. Si quid in theſauris habes Eccleſiæ , dato ſine mora pauperibus.

Chriſti 261. Auguſt. 6. Hæc aut his ſimilia cum Sixtus diceret , pervenit tandem ad locum , quò ducebatur ; truncatuſque ibi obdormivit in Domino poſt geſti Pontificatus menſes undecim tantùm & duodecim dies. Eo mortis genere exceſſiſſe eum è vivis produnt ſcriptores omnes præter Prudentium ; qui fuiſſe cruci affixum diſertè docet his verſibus :

Digitized by Google

Jam Sixtus affixus cruci *Hymno 2.*
Laurentium flentem videns
Crucis ſub ipſo ſtipite &c.

S. DIONYSIUS Papa XXVI.

Chriſti 261. Valeriani & Gallieni Impp. 6.

DIES triginta quinque ingemuerat orba capite Reſpublica Chriſtiana; cum datus illi poſt Sixti mortem fuit caput & moderator Dionyſius vir Græcus; ſi non obſcuræ originis, ſaltem ignotæ. Primus pietatis impetus rapuit ſanctam ejus animam ad ſolitudinem; tranſgreſſus demum ab ea in Urbem cleroque cooptatus ex Anachoreta promotus fuit in ſacerdotem. Aſſequutus hunc gradum præbuit ſe veritatis vindicem adverſus Rebaptizantes ſcriptis de hoc argumento literis ad Dionyſium Alexandrinum; qui planè intelligens quantâ

gratiâ valeret apud Stephanum Papam, privatis literis eum rogans anteà interpellaverat; ut in gratiam Aſianorum Rebaptizantium, quos certus erat Stephanus abſtinere, commotiorem ejus animum pacaret. Scripſit & illi alias de baptiſmo; quibus abundè liquet, quam admirandus vir fuerit & quantum eruditionis luce clareſceret intra Romanam urbem & extra. *Quarta ejus de baptiſmo epiſtola*, ait ibidem Euſebius c. 7. *ad Dionyſium ſcripta eſt tunc quidem Romanæ urbis preſbyterum, ſed qui aliquanto poſt tempore ejuſdem urbis Epiſcopus eſt conſtitutus. Ex qua hunc ipſum Romanum Dionyſium eruditiſſimum planeque admirandum fuiſſe teſtimonio Dionyſij Alexandrini licet cognoſcere.* Dignus his meritis qui & aliquando accenſeretur *Admirandorum* albo; cui adſcriptus tandem poſt Sixtum inauguratus fuit ex uſu à Maximo Epiſcopo Oſtienſi. Tota novi & eruditi Pontificis charitas erat & cura; ut gregem ſibi commiſſum ſaginaret pabulo veritatis fidemque aleret & propagaret quotidianis tractatibus, quos

Euſeb. Valeſ. l. 7. hiſt. c. 5.

Interpellatur in cauſa Dioniſii Alexandr.

habebat in cryptis. Huic operi dum deſudaret impigrè, pulſatus fuit querimoniis nonnullorum è provincia Pentapoleos adverſus Dionyſium Alexandrinum, quod refellens Sabellij errorem impegiſſet ipſe in execrandam hæreſim contra ſanctiſſimam Trinitatem, quaſi qui *Filium opus, non conſubſtantialem Patri aſſereret.* Idque cum reſciſſet ipſe ſe tot calumniis accuſatum, tranſmiſit ſtatim excuſatorias ad Papam ſibi cognominem: qui nè in re graviſſimâ quid tentaret in tanti nominis & ſanctitatis virum; conventu Romæ Epiſcoporum habito monuit accuſatum Antiſtitem, ſuam ut ſententiam circa æterni Dei filij naturam exponeret eliquatiùs. Obſequutus his Dionyſius, ut decebat; reſcribens S. Pontifici confeſſuſque candidè & ſimpliciter initio literarum dixiſſe ſe Chriſtum eſſe conſubſtantialem Deo nec reperiſſe uſpiam nec legiſſe in ſacris literis; negavit tamen ſe id dixiſſe unquam nec cenſuiſſe: imo addidit ſcripſiſſe ſe & docuiſſe contrarium, idque ſe demonſtraſſe ex his quæ oriuntur quotidie inter homines;

apud quos filij ſunt ejuſdem naturæ & ſubſtantiæ cum parentibus, plantæ cum ſeminibus & fluvij cum fontibus. Præter has literas ſcripſit de eodem argumento quatuor libros apologeticos, *quos cognomini ſuo Dionyſio Romanorum Epiſcopo nuncupavit*, utque ait Euſebius ὁμωνύμῳ Διονυσίῳ προσφωνεῖ.

l. 7. c. 26.

§. I.

Non ſatis fuit vigilantiſſimo Papæ eam in his adhibuiſſe prudentiam & abſolviſſe Epiſcopum ſibi cognominem: veritus ne damnaretur & ipſe [*ut qui acceptam pecuniam repoſuerat in ſudario*] ſi fieret canis mutus nec auderet latrare in erumpentes hæreticos, ſcripſit eruditum opuſculum, ut teſtis eſt Athanaſius contra hæreſim Arianam, adverſus ſectatores Sabellij. Et quaſi præſenſiſſet fore, qui aliquando impiè aſſeverarent Filium Dei eſſe opus & creaturam ut Ariani; contra naſcituros ejuſmodi hæreticos commentarium in anteceſſum edidit ut propheta conſignavitque poſteris velut

Refellit Arian. in anteceſſum.

Digitized by Google

velut antidotum. Eodem inſuper ſtylo confecit emergentem tunc hæreſim Pauli Samoſateni; qui prædicabat Chriſtum ſupra communem naturam hominis nil habuiſſe. Suis quoque decretis colliſere eam congregati Antiochenâ Synodo Orientales Epiſcopi; ejuſque rei fecere certiorem Dionyſium Papam ſcriptâ prolixiori Synodicâ, in qua Pauli mores corruptiſſimos, hæreſim & argumenta, quibus expungebant illam, dilucidè exponebant. Non contenti ſancti illi Antiſtites abdicaſſe hæreticum Patriarcham extruſere illum etiam ex Eccleſiæ domo, in qua placidè morabatur; cumque negaret ille mordicus ſe exceſſurum ex ea, interpellatus à Patribus in hac neceſſitate Imperator Aurelianus præcepit dari iis, quibus Italiæ antiſtites Epiſcopus præſertim urbis Romæ tradendam eſſe præſcriberent. Sentiens interim Dionyſius quam lugenda confuſio calamitate temporum irrepſiſſet quamque fœdè contra inſtituta ſuorum deceſſorum permixti eſſent limites Eccleſiarum & diœceſeon re-

Athan. l. de Synod.

Euſeb. Valeſ. l. 7. c. 30.

Statuta Dionyſ.

novavit; quod ejus anteceſſores ſapienter ſtatuerant. Idque prodit liber Pontificalis, cum inquit: *Hic presbyteris diviſit Eccleſias & cœmeteria, Parochiaſque & Diœceſes conſtituit*: nè ſcilicet colore charitatis alter alterius fines invaderet; & miniſteria turbarentur; Parochias & Diœceſes circumſcripſit ſuis terminis extra Urbem, Eccleſias intra, cœmeteria in ſuburbiis, non in Urbe, ut perperam Ciaconius poſt Platinam; cum neminem illo ævo liceret intra Urbem ſepulturæ mandari. Sunt, qui velint Dionyſium occubuiſſe martyrem; ſunt, è contra qui negent: ſi tamen cenſendus ille ſit privatus eſſe coronâ martyrii, qui deficiente, qui torqueat; non modo calicem Domini ſitiit, ſed & bibit per annos undecim, menſes tres & quatuordecim dies, quibus Eccleſiam gubernavit inter perpetuas cruces & amaritudines.

Chriſti. 272. *Decembris* 26.

SANCTUS FELIX

Papa XXVII.

Chriſti 272. Aureliani Imper. 2.

CONſtantij filius Felix nomine ſanctitate tamen morum longè felicior; ſi res pendamus opinione hominum & ex genio vanitatis, feliciſſimus fuit, cum dignitatum verticem conſcendit poſt Dionyſium. Eo in apice ſequutus deceſſoris ſui exemplum æmulatione laudabili nihil antiquius habuit, quam ut hæreſes tunc pullulantes evelleret. Hoc conſilio ſcripſit Maximo Patriarchæ Alexandrino robuſtam & pereruditam epiſtolam; in qua diſertis verbis prædicans utramque Chriſti Jeſu naturam humanam & divinam uno ictu velut ancipiti gladio conficit duos hæreticos Sabellium & Paulum Samoſatenum; quorum primus unam perſonam in Deo ſomniabat, alter naturam tantùm unam in Chriſto. Quam

excellens fuerit hæc lucubratio ſanctiſſimi Pontificis, uti *Leonem ex ungue*, colligimus ex modico fragmento, quod ex toto opere exſtat Actione primâ Concilij Chalcedonenſis. Sic ſe habet. *Ex epiſtolæ Felicis Epiſcopi Romani & martyris ad Maximianum Epiſcopum & Clericos Alexandriæ. De incarnatione verò Verbi & fide Verbi credimus in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ex Maria Virgine natum: quoniam ipſe eſt æternus Dei filius; nec enim hominem aſsũpſit Dei filius, ut eſſet alter præter ipſum. Sed Deus exiſtens perfectus factus eſt ſimul & homo perfectus incarnatus ex Virgine.* Prodit Platina ſine ullo veterum teſtimonio, ſtatutum ab eo; ut in honorem Sanctorum martyrum quotannis celebrarentur ſacrificia recurrente eorum natali: cumque legeret *viſas interfectorum animas ſubtus altare Dei*, ſapienter conſtituit ſcripto canone *ſupra ſepulchra aut Memorias martyrum Miſſas celebrari*, ut ſcilicet ſepulchra SS. Martyrum ſubirent vicem altaris, ſuperque illa dumtaxat aut dedicatis in

Statuta Felicis. Apocal. 6.

honorem Dei eorum nomine Eccleſiis offerretur ſacrificium incruentum. Dum totus erat in his & id genus ſtatutis ſanctiſſimis & interdum egrederetur Urbe tunc maximè, ut in Romano portu Eutropium, Zozimum & Bonoſam fratres hortaretur ad ſubeundum martyrium, factus & ipſe Christi hoſtia [cum minùs uno die menſes quinque præfuiſſet ſupra biennium ærumnas inter & cruces] martyr occubuit, non ſolâ nominis felicitate ſed bonorum omnium cumulo futurus felix & feliciſſimus in æternum & ultra. Conditus fuit ſuo in cœmeterio, in quo baſilicam ſtruxerat viâ Aurelia ſecundo ab Urbe milliario.

Chriſti 275. Maii 30.

S. EUTYCHIANUS Papa XXVIII.

Chriſti 275. Aureliani Imper. 5.

VIx primos æternæ felicitatis hauſtus cælorum compos libaverat S.

Felix; cum viſus eſt renaſci veluti phœnix & cathedram, quam reliquerat, occupare iterum in ſucceſſore ſuo Eutychiano. Duo ſunt, ſi æſtimemus perſonas; unus, ſi nomen: * Euthychianus enim ſonat idem, quod Felix. Marini filius ſortitus Lunam Tuſciæ urbem in patriam factus eſt orbis ſol, cum Pontifex maximus poſt Felicem. In hoc vertice cum præluceret omnibus operibus pietatis, cryptas luſtraret, Chriſtianos inſtrueret: totus in hoc incumbebat præſertim, ut velut *Tobias Evangelicus* ſacra martyrum corpora pernox & perdius ſuis ipſe manibus ſepulturæ mandaret: adeo ut trecentos ad minùs quadraginta duos roſtris corvorum & dentibus beſtiarum ſubduxiſſe prodatur hoc religioſo officio. Beatos illos cineres ornare ſacris & pretioſis veſtibus pro more illi erat & ſingulare ſtudium: ideo & conſulturus honori tam inſignium mortuorum inhibuit; ne quis impoſterum ſepeliret martyrem ſine *Colobio*; ideſt tunica ſine manicis, aut Dalmatica purpurata. Sentiens quam furioſè tunc inſaniret

* Ευτυχὴς. *Felix.*

Statutum Eutych.

Manes, quantâque doceret impudentiâ à *malo Principio* ortas eſſe res corporeas viliores præſertim: non contentus latrare fortiter in emergentem hæreſim ſuis quoque ſtatutis profligaturus hanc execrandam veſaniam, quâ maledicebat ejuſmodi creaturas, edixit ſapientiſſimè, *ut fruges, faba, uva & ejuſmodi à celebrante presbytero benedicerentur ſolemni ritu ſuper altare.* Perſunctus his ſtrenuè menſes aliquot ſupra octennium Numeriano Imperatore truncatione capitis emit immortalitatis coronam. *Chriſti* 283. *Decem.* 8.

SANCTUS CAIUS

Papa XXIX.

Chriſti 283. Cari Imper. 1.

IN ſucceſſoribus Petri experti ſumus hactenus veritatem oraculi Apoſtolici, *non multi nobiles*: vix enim unus & alter hoc ſplendore conſpicuus ante *1. Cor. 1. 26.*

Digitized by Google

Caium occupavit hanc ſedem. Quamquam nec ille inclaruit hac perilluſtri luce; cum natales ejus fuerint in ſordibus & fœce plebis, quales Diocletiani vel patrui ejus vel conſobrini; qui libertus & gregarius miles, antequam potitus rerum & Imperator. Gente Dalmata ut ille, & ex eâdem fortè urbe Diocleâ cognominis ſuo patri venit in Urbem; ibique novendio poſt mortuum Eutychianum electus à clero fuit caput Eccleſiæ paucis ante diebus, quam conſobrinus ejus crearetur à conclamante exercitu caput mundi. Huic cognatorum pari Diocletiano & Caio obtigit cumulus dignitatum in una; & utrique eadem, ſumma ſcilicet in ſuo ordine, non tamen idem propoſitum. Totus ille, ut Chriſtianos expungeret è toto mundo, Caius è contra, ut propagaret. Ad illum ergo confugiebant veluti ad paſtorem, quotquot cultores Chriſti latebant intra Urbem; Chromatius præſertim vir patricius, qui conſilio S. Caij Pontificis ſuos intra lares excipiebat Chriſtianorum examen. Non datum tamen illi perfungi diu ibi

hoc officio charitatis : cum enim puſillo gregi immineret periculum à tortoribus in hoc azylo ; declinandæ carnificinæ auctore ſancto Caio commigrarunt in Campaniam omnes duce Chromatio, qui ea in provincia poſſidebat ampliſſimum prædium *lati Cæſpitis*. Exulanti illi Eccleſiæ præfecit S. Pontifex, ut par erat, Polycarpum presbyterum divinæ plenum ſcientiæ & eximiæ ſanctitatis, qui ſuis monitis confirmaret teneras adhuc animas & fluctuantes. Priuſquam tamen à Paſtore ſanctiſſimo divellerentur oves illæ chariſſimæ ; congregatos [ut legitur in ſancti Sebaſtiani Actis] in Chromatij ædibus, in quibus beatiſſimus Pontifex ſacra fecerat die Dominicâ, cœpit alloqui his verbis ſuaviſſimis *Dominus noſter Ieſus Chriſtus præſcius fragilitatis humanæ duos credentium in ſe gradus conſtituit confeſſionis ſcilicet & martyrij: ut qui martyrij pondus ſe non ferre poſſe viderentur, confeſſionis gratiam teneant, & concedentes laudem bellaturis Chriſti militibus & pro ejus nomine pugnaturis illorum ſollicitè*

Verba Caij ad Chriſtian.

curam gerant. Pergant itaque, qui volunt, cum filiis noſtris Chromatio & Tiburtio; & mecum in hac urbe, qui voluerint; remaneant. Non enim nos terrarum ſpatia dividunt, quos Chriſti gratia nectit: neque abſentiam veſtram ſentiunt oculi noſtri, quia interioris hominis vos intuemur aſpectu.

§. I.

His verborum ſtimulis fuere incenſi, qui aderant ad devorandos quoſcumque cruciatus, Tiburtius Chromatij filius ſupra omnes; ideo inflammatus divino amore & piâ raptus impatientiâ S. Caium alloquens clamavit coram omnibus: *obſecro te, Pater & * Epiſcoporum Epiſcope, nè me patiaris terga perſequentibus dare. Mihi enim valdè jucundum eſt & optabile pro Deo vero millies, ſi poſſim, occidi; tantum ut illius vitæ dignitatem apprehendam, quam nullus mihi ſucceſſor eripiat, & cui nulla tempora finem imponant,* Mirari interim S. Caius fidem Tiburtij &

* *Titulus Papæ ex uſu illius ævi.*

calentiſſimum deſiderium, quo tenebatur pro nomine Jeſu contumeliam pati; traductuſque ab admiratione ad lætitiæ lachrymas, flexis genibus Deum oravit; ut pro ſua benignitate dignaretur omnes, quotquot ſecum remanſerant, decorare palmâ martyrij. Proficiſcentibus ergo permultis in Campaniam cum Chromatio remanſit cum S. Papa Tiburtius ejus filius pulcherrimus corpore ſed animo longè formoſior: remanſere & alij plures perilluſtres ſuis natalibus Marcus, Marcellianus, & Tranquillinus illorum pater, Sebaſtianus, Nicoſtratus, Caſtorius, Claudius, Victorinus & Simphorianus. Et hi cum ſuis meritis & conſtantiâ animi eſſent inſignes; promoto in presbyterum Tranquillino & ordinatis ejus filiis in diaconos cæteros gradu ſubdiaconatus inſignivit beatiſſimus Papa. Creavit verò novæ dignitatis faſtigium in gratiam Sebaſtiani, qui ſuâ pietate optimè erat meritus de Eccleſia; idque laudata ſancti Sebaſtiani & ſociorum Acta ſatis ſuperque produnt his verbis: *Beatum Sebaſtianum, qui ad mul-*

Ordinati à Caio.

torum profectum ſub ſpecie militiæ latebat, Eccleſiæ Defenſorem conſtituit. Qui tantæ ſollicitudinis ſtudio conſulebat aliis, non oblitus Caius ſuam carnem & ſanguinem; ſic appellamus Gabinium illius fratrem & filiam ejus Suſannam. Pulcherrimam Suſannæ animam commendabat chorus Chriſtianarum virtutum; ornabat ejus faciem votum & ornamentum mulierum pulchritudo eximia: & hanc tum dignam imperio efficeret inſignis illa felicitas, ideo & Diocletianus Imperator Galerio Maximiano candidato imperij & jam Cæſari inſciam deſponderat.

§. II.

Nè tamen invitam traderet futuro Imperatori, miſit Claudium affinem, qui Gabinij exploraret animum & Suſannam. Perſuaſa illa à Caio patruo, quem voverat, virginitatis florem illibatum ſervare; reverſum triduo poſt Claudium neceſſarium ſuum tam validè ſimul & ſuaviter perculit ſuis verbis; ut ex ido-

lorum cultore repente in cultorem Chriſti mutaverit & unà Præpedignam uxorem cum liberis Alexandro & Curia. Ad Caium volavit prior omnium Præpedigna, quæ procidens ad ejus pedes eoſque exoſculata humillimè ex uſu, ut Acta habent, ad Chriſti fidem admitti calentiſſimis precibus flagitavit. Admiſſam humaniſſimè baptizavit Pontifex unà cum filiis, maritum verò Claudium à Gabinio baptizatum ſacro chriſmate ipſe perunxit: ut fiebat ex more. *Poſt hæc*, ut in iiſdem Actis proditur, *obtulit pro illis ſacrificium in eadem domo conſecravitque corpus & ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & lac & mel & * fontem, participavitque cum omnibus myſterium Dei.* Ejuſdem felicitatis fuit compos frater Claudij Maximus: cum enim à Diocletiano veniſſet & ipſe ad Suſannam ut comperiret ab ea & à Gabinio, quænam utriuſque eſſet ſententia circa nuptias; deductus à Gabinio domum conventus illuc fuit incunctanter à Caio Papa. Proſtratis omnibus reverenter ad illius

* *Baptiſterium.*

ingreſſum cum ſuaviter & per modum adhortantis dixiſſet: *In nomine Domini conſtantes eſtote*, fudit continuò Caius iſtam orationem, *Domine Deus Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui omnibus ad ſalutem & vitam æternam miſiſti Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ut nos è mundi tenebris erueret: da nobis ſervis tuis conſtantiam fidei, quia tu regnas in ſæcula ſæculorum.*

§. III.

Habito deinde ſermone coram iis, qui convenerant, & Maximo, qui adſtabat; tam fortiter & ſuaviter affecit ejus animam; ut quintiduo poſt reverſus ad Caium & provolutus ad ejus pedes baptiſmum poſtulaverit: huncque cum S. Pontifex pleniùs erudiſſet de fide; perfuſum aquâ baptiſmatis ſacroque chriſmate delibutum donavit ſacratiſſimâ Euchariſtiâ ex more. Saginatos hoc pane præmiſit cœlis ſanctos illos martyres, quos intinxerat: Suſannam quoque; in cujus domo & eo ipſo loco, quo fuerat

Miſſas agit in domo Suſannæ.

interempta, ſolitus Caius Sanctiſſimus ejus patruus in honorem Dei offerre diebus ſingulis victimam ſalutarem. Quæritabant eum interim Imperatoris ſatellites, ut ſublato illo tollerent religionem & exſcinderent eam in capite: ſubducebat tamē ſe morti, errabatque hoc concilio pro ſalute ovium per cryptas occultiſſimas; interdum etiam ſe proferebat. Poſt vitam ſic alternatam per annos duodecim, menſes quatuor & quinque dies Pontificatus duriſſimi correptus tandem à lictoribus conſummato martyrio migravit ad feliciſſimam & immortalem. Aſſerit Ciaconius poſt Platinam Urbis regiones Fabiani exemplo diſtribuiſſe Caium Diaconis, qui res martyrum geſtas exciperent: ſed hæc gratis & ſine ullo authore. Nec in hoc hallucinatus tantùm Platina, ſed & cum imprudenter ait & ſine condimento, Caium *diſtinxiſſe, in Eccleſia ordines, quibus tanquam gradibus quibuſdam ad Epiſcopatum aſcenderetur*: imprudenter, inquam; cum hæc diverſorũ ordinum ſcala inſtaurata fuerit ab Apoſtolis. Conſtituiſſe ergo proditur *Chiſti 296. April. 22.*

Digitized by Google

Conſti-tutio Caij de ordinib.

in libro Pontificali; *Vt omnes ordines in Eccleſia ſic aſcenderent: Si quis Epiſcopus fieri mereretur, ut eſſet Oſtiarius, Lector, Exorciſta, Acolythus, Subdiaconus Diaconus, Presbyter & exinde ordinaretur Epiſcopus*: id eſt, ut ad faſtigium Epiſcopale nullus promoveretur nimis celeriter; nec niſi ſtato & definito tempore in ſingulis miniſtraſſet ordinibus. Et quamvis germana ſit hæc expoſitio, non abs re fuerit; ſi affirmaverim inhibitum à Caio, ne quis promoveretur per ſaltum: ita ut vox *omnes* appoſita huic decreto referenda ſit non ad ordines, ſed ordinandos: de quibus ſapientiſſimus Pontifex edixit, ut citra exceptionem ullam ętatis, vel neceſſitatis aut meriti omnes percurrerent illam ordinum ſcalam; adeo ut nullus cujuſcumque virtutis eſſet, repente fieret Epiſcopus, id eſt ſummus ex imo.

Explicatur

S. MARCELLINUS Papa XXX.

Chriſti 296. Diocletiani & Maximiani Imper. 13.

UNdecimo à Caij obitu die datus illi ſucceſſor Marcellinus Romanus Projecti filius vir in omnibus magnus; ut colligitur ex ejus electione præcipiti & acerbitate perſecutionis, quæ graſſabatur paſſim per illos dies. Primum novi Pontificis facinus, quod conſtet ſaltem, enituit erga legionem Chriſtianam militum Thebæorum, quæ teſte Eucherio *6666.* viris validis erat conflata. Cum enim evocati ab Oriente Romam veniſſent, ſolitus adire eos Marcellinus eo modo, quo Nicodemus Chriſtum, furtim; confirmabat eos in fide, quam ſuſceperant in Palæſtina. Hortabatur in primis, meminiſſent *ſe magis eſſe Chriſti milites, quam Maximiani; darent pro* *Legio Thebæor.*

Chriſto, quod toties pro Auguſto; nec ſatis eſſe ſi cœpiſſent fortiter, niſi perficerent; parerent imperanti homini uſque ad aras tantùm: ſin ſecus injungeretur aliquid, quod delibaret fidem tantiſper & innocentiam læderet, obtenderent intrepidè millieſque mortem oppeterent crudeliſſimam, quam reſilirent à Chriſto vel ſolo nutu. Omnium animis hæſere tam ſalubriter pia hæc & ſalutaria monita: ut poſt acceptam benedictionem à Marcellino profecti in Gallias contra emergentes tyrannos Amandum & Ælianum vitam mortalem omnes amiſerint prope * Agaunum, nè immortalem perderent. Quantum ad reliqua, quæ primis geſſit Pontificatus annis, altum de Marcellino ſilentium: legimus tantùm in Actis, quæ circumferuntur ejus nomine, ſolitum illum pietate incredibili colligere cineres pretioſos eorum, qui abſumpti flammis martyrium conſummaverant vivicomburio: ſi quæ verò corpora ſupereſſent intacta flammis, mandabat ipſemet ſepulturæ. His geſtis præludebat martyrio, tempuſ-

* *Saint Maurice en Chablais.*

quæ ſubeundi tandem illuxit: & ad hoc calcar & ſtimulus & gradus ferme illi fuit ex lapſu; nec aliunde ille, quam ex blanditiis & condimentis verborum. Res ſic proceſſit. Cum perſecutionis turbo fureret paſſim in Chriſtianos, incruduit potiſſimùm in Eccleſiæ columnas & fidei Epiſcopos: tentatus & Marcellinus ipſe hoc fulmine; miſſuſque ad illum hoc conſilio Pontifex Jovis Capitolini Urbanus hortari eum cœpit, ut citra moram Jovi & aliis diis thus adoleret; tres Magos vagienti Chriſto obtuliſſe hoc munus; imitaretur illorum pietatem, eorumque exemplo daret & ipſe Diis immortalibus. Ridere, ut par erat, Marcellinus ad hæc inſulſa, poſtmodum confutavit validè argutatorem ſtolidum: & quamvis optimè noſſet nefas eſſe, *margaritas projicere ante porcos*, prælocutus multa in laudem Chriſti Domini Salvatoris paucis expoſuit & Sacramentum & cauſam thuris à Magis illi oblati, cum vagiebat in Bethleem.

Tentatur Marcellinus.

§. I.

Poſt hoc colloquium ab ambobus itum continuò ad Imperatores; ſimulque oblati iis libelli ſuplices ab utroque: ille pro adolendo diis incenſo, hic contra pro denegando. Quò invictam S. Papæ animam vinceret Diocletianus, perſonam poſuit; utque Marcellinum mutaret, mutavit ſe ad tempus. Non ex ore ejus tonitrua in illum ut in alios martyres, non fulmina aut aculei vel intentatæ minæ; ſed mel verborum, promiſſa ſplendida & Syrenes animarum blanditiæ, fecit pene, quod olim *Dalila* erga Samſonem, & proh dolor! eodem ſaltem exitu. Ebrius enim iſto ſuavitatum nectare ſequutus ultro Marcellinus Diocletianum præeuntem ad templum Veſtæ oblato thure pronus adoravit fictilia. *Diocletiano*, ut Acta habent, *conſultius viſum eſt cum Marcellino blanditiis agere: ſicque eum blandis ſermonibus adeo delinivit, ut ſecum eâ arte ad Veſtæ templum perduxerit.* Stipabant Pontifi-

cem presbyteri tres & Diaconi duo; qui exhorreſcentes ad ingreſſum ejus in ædem illam prophanam evolarunt ſtatim ad collegas ſuos in Vaticanum, narraruntque iis cum ſuſpiriis & gemitibus rem lamentabilem, quæ contigerat. Inhorruere omnes ad tam lugubre nuntium; cumque pro diverſis affectibus, qui occuparunt ſtatim animas, remanſiſſent nonnulli immobiles præ dolore: ſeptuaginta duo ſe proripuere actutum ad deſignatam ædem ibique oculati teſtes viderunt provolutum coram idolis & thurificantem Pontificem. Romani Cleri Encyclicis certiores facti illico tam fœdi lapſus ſimulque exciti ad horrendũ illud deliquium Eccleſiarũ Antiſtites convocarunt Sinüeſsã incunctanter & magno numero ad Concilium. Venit & Marcellinus ipſe non humilis & accuſator ſui, ut par erat, ſed præfractus primùm & contumax negare ſuum errorem. Patres interim poſt damnatos diaconos & ſacerdotes, qui deſeruerant ingredientem in templum, conclamarunt reverenter univerſi: *Cunctorum judicio tu eris Iudex; ex te enim dam-*

Lapſus Marcel.

Synodus in cauſa Marcel.

naberis ; & exte juſtificaberis tamen in noſtra præſentia....Tu enim Iudex, tu reus. Iterata fuit eadem cantilena à Quiriaco Epiſcopo; *Te non condemnamus Præſul: quoniam exore tuo juſtificaberis & ore tuo condemnaberis:* & tunc ad hanc vocem velut ad Galli cantum converſus & expergiſcens Petri ſucceſſor *adjecit, ut reſurgeret* tandem poſt lapſum, uti poſt ſomnum.

§. II.

Pœnitentia Marcellini.

Perculſus ergo graviſſimo dolore cordis intrinſecus geſſit ſponte & ultro coram conſeſſu, quod palam nocentiores laïci eo tempore, quo vigebat *proſternendi & humilificandi hominis diſciplina Exomologeſis*, ut loquitur Tertullianus. Sacco igitur & cineri incubans, lurido vultu, facie ſquallidâ & toto corpore ſordidus ad extundendam miſericordiam prodivit veluti reus in medium: ingemiſcenſque ibi ſeriò coram fratribus Presbyteris advolvi, caris Dei adgeniculari, rugienſque à gemitu cordis

Digitized by Google

ſui magis quam loquens pronunciavit voce lachrymabili, ut David coram Nathano; *Peccavi coram vobis nec poſſum eſſe in ordine Sacerdotum, quoniam avarus corrupit me auro.* Et continuò Helchiades Epiſcopus lingua omnium, *Ore ſuo*, inquit, *condemnatus eſt.... Nemo enim unquam judicavit Pontificem, nec præſul Sacerdotem ſuum: QVONIAM PRIMA SEDES A NEMINE IVDICATVR.* Utque legitur in Romano Breviario, clamarunt omnes unâ voce: *Tuo te ore non noſtro judicio judica; nam prima ſedes à nemine judicatur: Petrum quoque propter eamdem animi infirmitatem deliquiſſe & à Deo ſimilibus lachrymis veniam impetraſſe.* Poſt editum hoc ſtupendæ humilitatis miraculum furore ſacro æſtuans Marcellinus certuſque reſarcire, quod timore magis quam infidelitate admiſerat, regreſſus Romam adit Imperatorem; incuſatque verbis graviſſimis, quod ſe ad execrandum idololatriæ facinus pellexiſſet: *eſſe flagitium atrociſſimum ſic cecidiſſe; ſtare animo recuperare,*

Reſponſio Synodi ad Marcel.

Fortitudo Marcellini.

Digitized by Google

quod amiſerat per ignaviam; neque id poſſe alio pretio, niſi effuſione ſanguinis; veniſſe ſe hoc conſilio; ſi non innocenti, daret reſipiſcenti mortem; hanc ſe non ſitire ſolùm ſed quærere: eſſe penes illius miſericordiam, ut inveniret citò. Nec diſtulit Maximianus. Iſtâ enim libertate S. Pontificis factus iratior damnat illico capitis Marcellinum. Eſt * qui vacillans cenſeat ſine authore poſt Sinüeſſanam Synodum Marcellinum vixiſſe per tres annos, nec habitum pro Pontifice: prodit tamen liber Pontificalis interceſſiſſe dies perpaucos inter Marcellini culpam & pœnam. *Poſt paucos dies*, videlicet à lapſu, *pænitentiâ ductus pro fide Chriſti cum Claudio, Cyrino & Antonino capite truncatus eſt & martyrio coronatus.* Cum decollandus duceretur ad ſcenam, Marcellum presbyterum factum obvium paternâ ſollicitudine monuit; ut ſaperet ejus exemplo, fieretque cautior ejus lapſu; *Meminiſſet ſolum pietatis genus eſſe immorigerum ſe præbere Imperatoribus, ſi quid imperarent Deo contrarium.*

* *Genebr. l. 3. Chron.*

Poſt

Poſt ſapiens illud monitum, ut poſt cygneum melos, truncatur octennis ferme Pontifex, mutavitque vitam mortalem cum immortali. Sic abſterſis animæ maculis, qui ruerat uti Petrus; lavit ſtolam ſuam ut Petrus & *dealbavit eam in ſanguine Agni.* Sacrum illius corpus cum tyranni juſſu imò ipſiuſmet Marcellini, ſi Bergomenſi fides libro 8. Suplementi, jaceret inſepultum ſubdio, jacuiſſetque jam eo habitu dies ſex ſupra triginta ſolidos, intempeſtâ nocte collegit Marcellus ejus ſucceſſor monitus in ſomnis à S. Petro, ſtipatuſque preſbyteris & diaconis adhibitis hymnis & facibus ſepelivit illud in crypta in cœmeterio Priſcillæ viâ Salariâ.

Chriſti 304. Apr. 26.

§. III.

Objectiones adverſus noſtram narrationem & earum ſolutio.

Quæ ſcripſimus in vita Marcellini, hauſimus ea *ſimpliciter* partim ex ejus Actis, partim ex *Euchologio* ſive Breviario Romano; *ſimpliciter*, inquam, ideo & *confidenter*: licet planè nove-

rimus hæc haberi vulgò pro fabula; eoque nomine & Marcellini lapſum & ſynodum Sinüeſſanam explòdi paſſim hoc ævo à torrente doctorum. Dixerim tamen illorum pace dormitaſſe eos & hallucinari fœdiſſimè in hoc caſu. Primus illorum error nec fœdus tantum ſed intolerabilis in doctoribus; quod ſua expromentes argumenta in noſtram opinionem non pudeat eos præmittere iſtud veluti caput; Quod ſcriptores Græci Euſebius, Theodoretus & Nicephorus de thurificante Marcellino nihil libaverint; ergo, ut inferunt, fictitius eſt ejus lapſus. Si quæ ratio putida & ſimilis aranearum telis, iſta omnino. Ergo ne doctores recocti & emeriti tam pueri ſunt & tyrones in dialecticis, qui non meminerint ab authoritate negativa nihil concludi? Si enim recta eſſet & valeret hæc argumentandi ratio; poſſit quis ritè & à pari inferre conſecutione legitimâ, in Concilio Nicæno tractaſſe Patres dumtaxat de celebrando ab omnibus eodem die Feſto Paſchali; nec libatum quicquam de Ario & ejus monſtroſiſſimâ & impiiſſimâ hæreſi:

cum perfidus Euſebius proculcans leges ſinceri hiſtorici [qui conſultò nihil ſilere veri, nil debet falſi dicere] libro tertio de Conſtantini vita c. 16. 17. & 18. afferens ejuſdem Imperatoris epiſtolam ad Eccleſias prodat quidem communi Epiſcoporum ſententiâ fuiſſe definitum ; ut uno eodemque die ubique & ab omnibus recoleretur quotannis Feſtum Paſchale, nec longiori epiſtolæ verbum unum inſerat de Ario & ejus condemnatione. Ergo ne non fuit colliſa à Nicænis Patribus hæreſis Ariana ? cum Euſebius conſignandò literis hujus cætus ſanctiſſimi convocationem ſimul erroris damnationem non aſſerat. Si valeat [arguo iterum] hæc ratio argumentandi ; ſequeretur colligi poſſe ſanctos Angelos neutiquam fuiſſe conditos à Deo O. M. cum Moyſes ſcribens ferè in ſingulari productionem creaturarum, nec verbo quidem Angelorum fecerit mentionem. Nec in hoc tantùm mancus & minus accuratus Euſebius, quod Marcellini lapſum omiſerit ; ſed & in pleriſque aliis, quæ ſpectant ad Romanos Pontifices : quorum geſta

Digitized by Google

omnia ſi non explorata habuit, non mirum certè, cum nec interdum perſonas; nam & Marcellini ſucceſſórem ita prætermiſit Marcellum, ut nec nominaverit inter ſucceſſores Petri. Cum enim Euſebius eſſet maximè, nè dicam totus, in geſtis Orientalium, eaque venaretur magno ſtudio undiquaque, perfunctoriè & obiter ſcribebat, quæ gerebantur in Occidente, eaque vix noſſe poterat & non niſi per ſumma capita; ideoque cum non exciperet antecedentia, ut aiunt, & conſequentia ſeu circunſtantias rerum & perſonarum, ſolum Marcellini martyrium conſignavit, non lapſum. Quamvis etiam veroſimile ſit Occidentales prodidiſſe paſſim & ſignificaſſe ſcriptis literis ejus conſtantiam, celaſſe culpam; nè revelarent pudenda patris.

Secunda ratio. Addunt negatum mordicus ab Auguſtino Marcellini errorem: reſpondemus fuiſſe & ignoratum ab illo. Nec mirum, cum fateatur ipſe Epiſtola 110. ignoratos à ſe Nicænos Canones eâ ætate, quâ maturus epiſcopatui imo & epiſcopandus debebat eos callere. Nec

obſtat, quod verſatus diu Romæ non potuerit non habere exploratum, quod omnes. Quaſi verò his addiſcendis aut tradendis illuc Auguſtinus ſe recepiſſet? Unicum ejus conſilium, cujus causâ Romam tranſmiſerat relictâ Carthagine; ut admoveret, quod ipſe fatetur nono Confeſſionum c. 2. *miniſterium linguæ ſuæ nundinis loquacitatis*. Hæc unica ejus cura, ſeu ut proverbialiter loquar, *unica ejus Sparta & hanc ornabat*. Cumque legeret paſſim & diceret ſuis, *nè ſutor ultra crepidam*, itemque *tractent fabrilia fabri*: in rethoricis totus erat; nec vacabat neque libebat vel momentulum dare his, quæ ſpectabant ad res Eccleſiaſticas. Sicut enim nulla *conventio Chriſti cum Belial*; certè nec rethoricantis Romæ Auguſtini cum Marcellino.

§. IV.

Quanti faciendum ſit teſtimonium Romani Pontificis de aliqua re controverſa.

Proſcribunt tertio loco Acta Sinüeſſana, & in hoc malè. Scimus

Digitized by Google

ſcatere quidem ea mendis quam pluri-mis; idque profitemur ingenuè cum phœnice eruditorum iſtius ævi Petro de Marca, qui l. 1. de Concordia adeo non illa proſcribat, ut fateatur *redolere antiquitatem quamdam*. Emaculari ergo debent, non rejici; idque ſi non poſſimus, conabimur ſaltem, Deo dante, in diſſertationibus noſtris poſt vitas Romanorum Pontificum. Ea interim ut admittamus quantùm ad rem ſive ſubſtantiam, ſimulque Marcellinum ruentem ſatis mihi, quod Nicolaus I. ſuâ epiſtolâ ad Michaëlem iſta duo admiſerit. Unus ille doctor mihi pro omnibus. Nam quemadmodum in quæſtionibus *de Jure* unus Romanus Pontifex, quâ talis, mihi eſt & pro omnibus & præ omnibus [pluris enim mihi unicus Stephanus Papa in cauſa de baptiſmo hæreticorum, quam tota cum Cypriano Affrica, quam Alexandria & Ægyptus cum Dionyſio, quam Aſia Minor cum Firmiliano] ita in quæſtionibus *de Facto* pluris mihi unus Romanus Pontifex id affirmans, quam legio doctorum id pernegantium. Ab-

ſit enim ſim animo adeo *irreverenti* & *infrunito*, qui ſentiam, multò minùs qui crudè dicam & inurbanè; quod novitius Scriptor Natalis Alexander diſſertatione vigeſimâ tertij ſæculi ad calcem iſtam controverſiam verſans & reſpondens ad teſtimonium Nicolai de Marcellini lapſu & ſynodo Sinüeſſanâ: *Neque enim*, ait, *certam hiſtoriam facit Romani Pontificis authoritas, cui in hujuſmodi factis major non debetur fides, quam aliis quibuſlibet authoribus.* Scimus non eſſe infallibilem in his: negamus tamen non eſſe certiora, quæ ipſe aſſerit in hoc genere, quam quæ affirmantur ab aliis. Nihil enim temerè, nil deſultoriè dicunt tam eminentes perſonæ, ſed poſt longioris trutinæ ſeveritatem. Nam ſi *os juſti* teſte Prophetâ, *meditatur ſapientiam & lingua ejus loquatur judicium*, quantò magis lingua Romani Pontificis. Ipſe enim cum ſit Dei Vicarius agit & ſcribit, quâ talis, omnia ut Deus, in *pondere, numero & menſurâ.* Si verba ſapientis, ut vulgo dicitur, eſſe ſoleant *priùs & diu ad limam, quam ſemel ad linguam*; quan-

Digitized by Google

tò magis omnium hominum ſapientiſſimi? cujuſmodi eſt S. Petri ſucceſſor. Quæ cum eo pacto ſe habeant, numquid teſtimonio tam authentico adſtruenda eſt fides? quantæque temeritatis foret, ſi de Nicolao impudenter dicerem, quod Scriptor ille loco laudato; *quod cum vellet ſupremam demonſtrare ſedis Romanæ dignitatem Imperatori Michaëli, undequaque arripuit & congeſſit, quæ cauſam ſuam juvare poſſent ſingulorum factorum accuratiori neglecto examine.* Reverentiùs ègo dixerim intendiſſe illum ſuam cenſuram nec ſcripſiſſe Imperatori niſi quod verum & non niſi poſt accuratum examen. *Si quis aliter ſapit*, ut cum Bernardo loquar epiſtolâ 77. ad Hugonem de S. Victore: *viderit, unde ſibi, quod aſſerit, perſuaſerit; nam me non facile fateor aſſentire, ſi non firmior induxerit vel ratio ad intelligendum vel ad credendum authoritas. Sed miror admodum, ſi novus iſte novarum inventor aſſertionum & aſſertor inventorum invenire in hoc rationem potuerit, quæ SS. Patres latuerit Ambroſium & Augu-*

Digitized by Google

ſtinum, ſive autoritatem eorumdem auctoritate potiorem: nam ſi neſcit, uterque idem profecto ſenſit, quod fatemur ſentire & nos. Poſt nonnulla demum concludit; *Ab his ergo duabus columnis, Auguſtinum loquor & Ambroſium, crede mihi, difficile avellor: cum his, inquam, me aut errare aut ſapere fateor.* Sic ego à Nicolao & agmine Pontificum Romanorum aſſerentium Marcellinum erraſſe & admittentium ſynodum Sinüeſſanam difficile avellor cumque illis aut errare aut ſapere me fateor; quidquid novellus ille diſſertationum artifex dicat de *oſcitantia & hallucinatione*, ut loquitur, *Nicolai.*

§. V.

Quanta Romani Breviarij ſit authoritas circa vitas Sanctorum?

Sed quàm ingenioſum, quod ibidem ſubnectit proximè idem doctor: cum reſpondens ad id, quod contra ſecundam concluſionem ſibi objicit ex Breviario Romano adſtruente Marcellini lapſum nec non & ejus pœnitentiam coram Epiſcopis Sinuëſſani Concilij,

inconſideratè, ne dicam protervè, ait: *Reſpondeo Romani Breviarij authoritatem efficere non poſſe, ut fabulæ in hiſtorias evadant.* Contremiſcit calamus & cohorreſcit animus, cum hæc ſcribo: ideo & perbenignè interpretaturus reſponſionem tam monſtroſam tamque incredibilem dicere malim, mendum eſſe typographi aut fœtum ſuppoſititium inſertum ab aliquo Zoilo vel Calviniſtâ, quam reſponſum germanum viri Catholici. Qui enim doctor Catholicus, qui Breviarium Sanctorumque vitas illi appoſitas tenetur quotidie recitare ex penſo, errare poſſit tam abſonè? ut opinetur & dicat propinari nobis aniles fabulas recitandas in Breviario; & propinari ab Eccleſia Romana, quæ eſt Eccleſia Dei vivi: utque ait Apo-
1. *Tim.* 3. 15. ſtolus *columna & firmamentum veritatis.* Et hæc nos ſaginet mendaciis? Et quis aliquando illi tale convitium? Et quæ atrocior injuria inferri illi poſſit à Lutherano? quàm ſi petulanter illi exprobret, quod neſciat *reprobare malum & eligere bonum.* Et numquid doctor Catholicus im-

pingit illi incogitans eamdem contumeliam ? cum imprudenter aſſerit ineſſe fabulas Breviario. Quod quam ſit impoſſibile, ſic demonſtramus: Vel enim tales cognoſcit eas Eccleſia, vel non: ſi cognoſcit, mala eſt, quæ nolit tollere, quod malum eſt: ſi ſecundum, ignara eſt vel ſtupida, quæ non poſſit, quod privati doctores, qui & magis oculati magiſque emunctæ naris, quam illa, ſubodorentur & cognoſcant oculis animi, quod non illa. Et amabo poſſit ne alterutrum vel utrumque malitia, ſtupiditas aut ignorantia ei competere? quæ pro rectore inviſibli habet Spiritum bonitatis & veritatis.

Sed non *ſunt explorata* ait ibidem idem Scriptor, *& inconcuſſa veritatis, quæcumque ſunt Breviario inſerta*. Fatemur inconcuſſæ veritatis non eſſe uti ſunt Scripturæ canonicæ, quæ ſolæ gaudent hoc privilegio: quod verò non ſint veritatis exploratæ & exploratiſſimæ & tantæ, quantam patitur humana fragilitas, negamus. Idque demonſtrativè colligimus ex religioſa illa ſollicitudine; quâ poſterioris & iſtius

ſæculi ſummi Pontifices Paulus & Pius IV. Pius V. Clemens & Urbanus VIII. deſudarunt emendationi Breviarij. Cum enim Pius IV. poſt Paulum IV. adornaſſet hanc operam, Patreſque Tridentini doctos quoſdam viros & piòs huic præfeciſſent correctioni, inſtante concluſione Concilij decreto ejuſdem ſanctæ ſynodi rem totam reliquere judicio Summi Pontificis. Cum autem ille vocatis Romam, qui à Concilio electi fuerant ad hoc opus, adjunxiſſet alios viros ſimilis eruditionis & ſapientiæ, qui cœpto operi ultimam manum ponerent; eſſetque haud multò poſt viam univerſæ carnis ingreſſus, cœptum opus conſummare non potuit. Idque tandem perfecit Pius V. ejus ſucceſſor adhibitis ad hoc viris conſummatæ eruditionis & pietatis. Et quia progreſſu temporis typographorum incuriâ & nonnullorum temeritate multa irrepſerant; ideo recognovit illud Clemens VIII. & poſt illum demum noviſſimè Urbanus ſimiliter VIII.

Digitized by Google

§. VI.

Hæc omnia conſtant eliquatiſſimè ex conſtitutionibus illorum trium Pontificum præfixis ex more in limine Breviarii Romani. Occurrit omnium prior, quæ Pii V. in qua ubi aſſeruit *An.* exceſſiſſe è vivis Paulum Quartum *1568.* *nondum iis quæ egregiè inchoaverat perfectis*; Pii Quarti ſollicitudine revocato Concilio Tridentino, quod intermiſſum fuerat, prodit Patres Tridentinos cogitaſſe ſeriò reſtituere Breviarium ex ipſius Pauli IV. ratione. *Itaque*, ait, *quidquid ab eo in ſacro opere collectum elaboratumque fuerat, Concilii Patribus Tridentum à prædicto Papa Pio miſſum eſt. Ubi cum doctis quibuſdam ac piis viris à Concilio datum eſſet negotium, ut ad reliquam cogitationem Breviarii quoque curam adjungerent; inſtante jam concluſione Concilii tota res ad auctoritatem judiciumque Romani Pontificis ex decreto ejuſdem Concilij relata eſt: qui illis ipſis Patribus ad id munus delectis*

Digitized by Google

Romam vocatis nonnulliſque in Urbe idoneis viris ad eum numerum adjunctis rem perficiendam curavit. Verum eo etiam viam univerſæ carnis ingreſſo Nos ita divinâ diſponente clementiâ, licet immeritò, ad Apoſtolatus apicem aſſumpti cum ſacrum opus adhibitis etiam ad illud aliis peritis viris maximè urgeremus: magnâ in nos Dei benignitate [ſic enim accipimus] Romanum hoc Breviarium vidimus abſolutum. Cujus ratione diſpoſitionis ab ipſis, qui negotio præpoſiti fuerant, non ſemel cognitâ cum intelligeremus eos . . . . . remotis iis, quæ aliena & incerta eſſent, de propria ſummâ veteris divini officij nihil omiſiſſe, opus probavimus. Cum verò evolutis nondum quadraginta annis ab editione Breviarij per Pium Quintum irrepſiſſent multi errores in ſacra Scriptura, Lectionibus Patrum, ac in Vitis Sanctorum; recognovit illud pro paſtorali ſollicitudine Clemens VIII. impoſuitque illam provinciam viris doctiſſimis. *Mandavimus*, inquit,

An. 1602. *nonnullis piis & eruditis viris, quo-*

rum conſultatione & operâ in hujuſmodi rebus frequenter utimur; ut idem Breviarium novâ adhibitâ diligentiâ accuratiùs inſpicerent atque examinarent, & ea quæ depravata eſſe & recognitione indigere animadverterent, pro ſua doctrina & pietate reſtituerent. Quod cum ab iis exactè ac profectò non mediocri cum emolumento præſtitum ſit, ita ut ex ſuperiori illo incommodo per occaſionem non parum utilitatis provenerit: Nos illud in noſtra Typographia Vaticana quam emendatiſſimè imprimi ac divulgari juſſimus. Verum ut res humanæ ſe habent quæ ſuæ conditionis vitio ſenſim obſoleſcunt, cum exactis nondum triginta annis ſenſiſſet Urbanus VIII. interiiſſe hunc Breviarii nitorem, in ejus reſtitutionem ſedulò incubuit exemplo Clementis VIII. *Nos quoque*, *An.* *1631.* ait, *in eamdem cogitationem traxere & ſollicitudo noſtra erga res ſacras, quas primam & optimam partem muneris noſtri cenſemus, & piorum doctorumque virorum judicia & vota conquerentium in eo contineri*

non pauca; quæ ſive à primo nitore inſtitutionis excidiſſent, ſive inchoata potius quam perfecta forent ab aliis certè à Nobis ſupremam imponi manum deſiderarent. Nos itaque huic rei ſedulam operam navavimus & juſſu noſtro aliquot eruditi & ſapientes viri ſuam ſeriò curam contulerunt: quorum diligentiâ ſtudioque perfectum opus eſt, quod gratum omnibus Deoque & ſanctæ Eccleſiæ honorificum fore ſperamus. Exequens poſtmodum quibus præſertim Breviarij partibus impenſa ſit cura præcipua; de Vitis ſeu, ut vulgo aiunt, *Legendis* Sanctorum diſertis verbis hæc teſtatur, *Sanctorum Hiſtoriæ ex priſcis & probatis autoribus recognitæ.* Recognita ergo fuit thurificatio Marcellini & ſynodus Sinueſſana inter Sanctorum hiſtorias; & ita aniles inter fabulas computari non debet, ut imprudenter & perperam audet aſſerere noſter doctor.

§. VII.

Et poſt tot tamque accuratas

cenſuras audebit quis impoſterum gratis & temere pronuntiare, *quæcumque ſunt in Breviario Romano, non eſſe exploratæ veritatis ?* Expendat hæc vir cordatus, & intelliget de Romanæ Eccleſiæ *Euchologio* ſive diurnis precibus poſſe dici jure maximo, quod de eloquiis Domini: *Ps.* 11.
Eloquia Eccleſiæ eloquia caſta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum ſeptuplum : intelliget inquam non aſperſas eas eſſe piis & ingenioſis Romantiis, ſed omnino eſſe ſine macula *& ruga* inſtar Eccleſiæ & ſine ulla prophanitatis & figmentorum mixtura. Intellexere ſaltem tales eſſe eruditi cenſores in iis maximè, quæ leguntur de Marcellini lapſu & Concilio Sinueſſano, expuncturi utrumque hauddubiè, ut par erat, ſi judicaſſent eſſe figmenta. Stet igitur indubitatæ eſſe veritatis, quæcumque doctores ſagaciſſimi, Argi, Aquilæ ſeu Lynces illi reliquere intactum in Breviario; & conſequenter eſſe veriſſimum quidquid in eo proditur de Marcellino. Ut ergo credam, ſatis ſuperque eſt, quod compendium

veritatis Breviarium Romanum id prodat & Romana Eccleſia ; nec crederem, niſi illa. Hæc meus canon perpetuus & regula credendorum inviolabilis non ſolum in his, quæ ſunt divinæ fidei, ſed quæ humanæ. Nam quemadmodum libro contra fundam. Manichæorum c. 5. Auguſtinus ſapientiſſimè ; *Evangelio*, ait, *non crederem, niſi me Eccleſiæ Catholicæ authoritas commoveret* : ita negantibus viris doctiſſimis thurificaſſe Marcellinum thus obtuliſſe illum non crederem ; niſi lapſum illum crederet Romana Eccleſia ſuoque recenſeret in Breviario. Hoc me non ſolum pellicit ad credendum, ſed cogit : ut enim credam, ſatis mihi ; quod priùs illa ; inſaniam aliter ad portentum.
Epiſt. 118. Si enim aſſerat Beatus Auguſtinus eſſe amplectendum, *Si quid tota per orbem frequentat Eccleſia. Nam hoc quin ita faciendum ſit diſputare, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt* : num inſaniſſimi ſunt in ſententia Auguſtini, qui negant credendum quod tota ſuis in precibus credit & credere ſe profitetur Eccleſia ? Ejuſmodi eſt

Lapſus & Thurificatio Marcellini, ergo inſolentiſſimæ inſaniæ eſt revocare eum in dubium vel negare. Parergon videri poſſit, quod à paragrapho tertio attexuimus; nec tamen eſt: hæc enim cohærent mirum in modum cum iis, quæ ſcripſimus in vita Marcellini; cum ea ſit ejuſdem coloris, cujus eſt illa narratio, quæ legitur in Breviario Romano; veritatem ſcilicet præferat vel falſitatem, ſicut & illa.

S. MARCELLUS Papa XXXI.

Chriſti 304. Conſtantij & Galerij Impp. 1.

TRUNCATO Marcellino ſunt, qui poſt Librum Pontificalem ſentiant fuiſſe Eccleſiam orbam capite per ſeptem annos; ſunt èeontra, qui emendantes errorem textus aſſerant vacaſſe tantùm per ſeptem menſes, nec ſolidos. Ut ut ſit, evoluto

illo viduitatis & *Acephaliæ* ſpatio datus illi tandem fuit ſponſus & caput Benedicti filius S. Marcellus; quem deluſi affinitate nominis cum Marcellino Euſebius & poſt illum ſcriptores Græci prætereunt. Ex jacentis ſub dio Marcellini *Tobia* ſeu Veſpillone, ut diximus paulò ſuperius, factus ejus ſucceſſor factus eſt ſimul Pater patriæ; cum Epiſcopus Romæ, quæ ejus patria. Prima provecti cura fuit vel ſola, ut perſecutionis atrociſsimæ nimbo perturbatam Eccleſiam ſerenaret & promoveret divinum cultum; uſuſque hoc conſilio opportunitate temporis & Chriſtianitate umbratili ſive precariâ Maxentij. Ratus enim Maxentius auceps Imperij promoveri poſſe res ſuas favore Chriſtianorum, quò blandè invitaret eos in ſuas partes, prætulit larvam & vultum Chriſtianiſſimi Principis; cum pacatâ ejus edicto perſecutionis tempeſtate facta eſt Romæ tranquillitas magna. Mirum in modum floruit Chriſti religio per illos ſerenitatis dies factuſque novæ chriſtianitatis proventus

per totam Urbem piâ Marcelli ſollicitudine. Cum autem in Urbe ter maximâ *meſſis quidem multa eſſet, operarii autem pauci*, plures ſcilicet *abnegantes impietatem & ſæcularia deſideria* ambirent eſſe cultores Chriſti: nec miniſtri ſuppeterent tot candidatis, ſuccenturiavit auxiliares copias: ſerviens videlicet commoditati publicæ per diverſas Urbis regiones condidit & conſecravit viginti quinque Titulos ſive parœcias aſsignatis unicuique ſuis limitibus. Novis titulis affixit novos presbyteros; quibus unum penſum erat & totum, ut tingerent irruentium Cathecumenorum examina, qui ex Ethniciſmo tranſiliebant ad caſtra Chriſti; nec non ut admitterent ad pœnitentiam, quotquot perculſi corde poſt lapſum reſipiſcerent feriò. *Viginti quinque Titulos*, ait Liber Pontificalis, *conſtituit in Urbe, & quaſi diœceſes propter baptiſmum & pœnitentiam multorum, qui convertebantur ex Paganis & propter ſepulturam Martyrum.*

Digitized by Google

§. I.

Nec ſegnior fuit Marcelli pietas erga mortuos : illo enim authore Priſcilla matrona nobiliſsima inter Romanas funerandis martyrum oſſibus ſuis conſtruxit ſumptibus amplisſimum cœmeterium viâ Salariâ. Cumque his & ejuſmodi tam vigilanter proſpiceret S. Pontifex, larvam pietatis poſuit Maxentius jam pene votorum compos : continuòque ſuum diſtrinxit mucronem in Chriſtianos , in eorum præſertim caput Marcellum. Accitum ergo cœpit hortari verbis ſuavibus ; ut abdicans illud , quidquid dignitatis obtinebat in cœtu chriſtianorum, fieret *Flamen* Dialis ; & Marcellini exemplo faceret in Pantheo diis Imperij. Cumque vir ſanctiſsimus ſpreviſſet tam inſanum conſilium;in pœnam ſanctę pervicaciæ damnatus ab eo fuit ad beſtias, cum ad *Catabulum*, ſtabulum ſcilicet deſtinatum jumentis utilitati publicæ ad tranſvehenda onera deſervientibus. Eo in ſtabulo equiſo ſimul &

Marcelli generoſitas.

mulio beatiſsimus Pontifex tractare ſtrigiles, fœnum & paleam; jumentis demenſum dare, imponere illis fræ- nos, clitellas, epiphia, omnia obire, quæ perſonæ viles ex uſu. In his ſordibus, ut ſol in luto; equos inter & mulos non factus *ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus*; ſed velut Angelus cœli, utque Daniel in caverna leonum; ſaginabat corpus jejunio, animam precibus. Poſt tranſactos in hoc ſtercore menſes novem & infracto animo devoratos fœtores ex inhonoro illo ergaſtulo clericorum manibus tandem educi- tur nocte concubiâ. Traductus per has tenebras ad Lucinam viduam nobiliſsimam, quæ lucidis moribus & operibus lucis magis lucida erat, quam nomine, conſecravit ejus ædes in templum: & hæc Eccleſia dotata Lucinæ opibus à dedicantis nomine appellata fuit *Titulus S. Marcelli.* In ea obibat optimus Paſtor cum ſuo grege puſillo, quæ ubique & ſemper, canebat hymnos Deo & Chriſto, offerebatque hoſtiam ſalu- tarem: idque cum comperiſſet Ma- *Pœna.*

Digitized by Google

xentius, correptum denuo oneravit cathenis, iuflixitque illi iterum primam pœnam, curam equorum.

§. II.

Nè autem Marcelli fieret tranſmigratio in ſtabulum publicum; in equorum & mulorum domum mutavit Maxentius domum Dei: traductis ſcilicet illuc jumentis Catabulariis juſſit *Plancis*, ut habet liber Pontificalis, ſeu aſſeribus planis ſterni hanc Eccleſiam, præſepia conſtrui, beſtiarumque ſervitio rurſus mancipari Marcellum. Si quando verum, maximè in hoc ſacrilegio, quod Rex Propheta, *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum, poſuerunt Jeruſalem in* jumentorum *cuſtodiam*. In hoc pœdore martyr extitit ſine ſanguine ſanctiſſimus Papa: fuiſſet genus miſericordiæ, ſi eum citò occidiſſet Maxentius: noluit tamen cum eo agere tam miſericorditer, imo permiſit eum diu vivere, ut moreretur diu & traheret vitam miſerrimam inter moleſtias. Tentari potuit

Supplicium.

Pſ. 78.

potuit tormentis tam diuturnis illius patientia, non exhauriri: his pœnis ideo addidit aliam juge cilicium & aſperrimum ſupra corpus, quo cataphractus erat ut * Rex Propheta. Sic ſi non ſumptus fuit Marcellus è Cathedra, quod aiunt, *Stercoraria*; in officina ſaltem ſtercoraria factus eſt Christi martyr citra effuſionem ſanguinis. In ea enim cum deſiiſſet mori magis, quam vivere; *de ſtercore erigens pauperem collocavit eum Dominus cum principibus cum principibus populi ſui*; cum præfuiſſet partim jumentis, partim hominibus per ſex annos. Diſcrepat nonnihil iſta narratio ab his, quæ ſcripſit Damaſus in Epitaphio S. Marcelli. Aſſerit enim deportatum illum juſſu Maxentij [locum tamen non indicat] quod gentiles ad fidem & lapſos admitteret ad Exomologeſim; illumque obiiſſe exulem, non Romæ in Catabulo. Idque liquet his verſibus:

* *Poſui veſtimentum meum Cilicium. Pſ. 68.*

Chriſti 309. Ianuar. 16.

*Veridicus * Rector lapſis quia crimina flere*
*Prædixit miſeris, fuit * omnibus hoſtis amarus.*

* *Marcellus.*

* *Paganis.*

N

Hinc furor, hinc odium, ſequitur diſcordia, lites,
Seditio, cœdes, ſolvuntur fœdera pacis
Crimen ob alterius, Chriſtum qui in pace negavit,
Finibus expulſus patriæ eſt feritate tyranni.
Hæc breviter Damaſus voluit comperta referre,
Marcelli ut populus mortem cognoſcere poſſit.

S. EUSEBIUS

Papa XXXII.

Chriſti 309. Conſtantini Imper. 4.

CONSUMMATO lentâ & ſiccâ morte in ſordibus & pœdore Catabuli S. Marcello vigeſima poſt die ſubrogatur *Pietas* in ejus locum; ſufficitur, inquam, moribus & factis

pius magis quam nomine ſanctus* Euſebius. Illius gentem clamat ſatis ſuperque ejus nomen, quod Græcum. A patre vel arte vel nomine Medico medicus & ipſe, ut Genebrardus prodit è ſuo penu libro tertio Chronologiæ in Euſebio, è minimo repente ſummus, cum ex laïco ſe provectum vidit in Papam. Ex inſolenti ejus electione colligimus evidenter; quam ſplendidis virtutibus inclaruerit, priuſquam ſederet in Petri Cathedra, colligimus & quibus ornatus fuerit, cum ſederet; ex ejus electione, inquam, non ex Annalibus. In iis enim de illo, vel omnino nihil aut parum: iſtud inprimis, quod invigilans mirâ ſollicitudine ſuo gregi magno incremento illum auxerit converſione Donatiſtarum, qui recantantes Romæ per impoſitionem manuum admittebantur humanitate Euſebij. Hæc cum gereret intra Urbem & alia inſigniora, quæ exciderunt, famamque ejus Roma quantumvis ampla non caperet; ſparſit ſe per regiones & adiacéntes inſulas & in Sardiniam, nec ſine præda. Inde enim ve-

* Εὐσεβὴς Pius.

luti magnes *Reſtitutam* viduam nobilem & omnium virtutum Euſebius allexit Romam odore ſanctitatis, quæ aſpernata opes ampliſſimas & latifundia, quæ poſſidebat; ſecum tranſvexit theſauros omnes, cum filium. Non præſtitit in Urbe nobiliſſima peregrina, quod alij, non inhiavit ad nova, non ſaginavit ſe miraculorum obtutu: magnum & ſolum illius pietati miraculum unus Euſebius Papa, cujus gratiâ venerat. Ad illum ergo continuò Reſtituta cum ſuis delitiis trimulo aut fortè grandiore filiolo, quem geſtabat in ſinu. Serenâ fronte & humanitate mirabili excipere Euſebius & arborem ſimul & fructum, Reſtitutam ſcilicet & chariſſimam prolem. Utque & ipſe illæſâ virginitate fieret ejus pater, genuit illum in Chriſto; cum perfudit aquâ baptiſmatis. His beneficiis ut aliud adderet, intincto dedit ſuum ipſius nomen Euſebij: ut Patrinus idem eſſet, qui pater. Magna ſanctiſſimi Papæ felicitas; quod ex ejus ferula puellus ille evaſerit in *Euſebium* Vercellenſem. Non datum ſancto Pontifici edu-

care diu ſuum Euſebiolum : immortuus haud multò poſt operibus pietatis, quæ præferebat nomine [verè Euſebius ſi quis umquam] non amiſit vitam, ſed permutavit cum immortali poſt occupatam cathedram ſancti Petri per menſes ſeptem, dies ſexdecim ſupra biennium. Fertur ſtatuiſſe, nè quis ſacrificium celebraret in ſerico panno vel tincto, ſed puro, lineo, candido; cujuſmodi erat ſindon mundiſſima, in qua obvolutum fuerat corpus Dominicum. *Chriſti 311. Sep. 26.*

S. MELCHIADES

Papa XXXIII.

Chriſti 311. Conſtantini Imper. 6.

NE diu gubernatore vacaret Petri navicula; primo ut Platina; ſeptimo, ut alij, ab Euſebij obitu die præpoſitus illi omnium votis Mel-

chiades ſeu Miltiades Afer & presbyter ſuſcepit clavum Eccleſiæ. Futuræ dignitatis datum illi omen ea in parte nominis, quæ * *Regem* ſonat Syrorum linguâ: promotio verò tam feſtinata velut merces extitit pietatis, quam luculenter prætulerat paulò antea ſub Maxentio: qui mentitus ſe Chriſtianum eorumque ſe mecœnatem exhibens nondum compos Imperij deliniebat eos ſuis blanditiis. Uſus Melchiades nondum Pontifex tam pretioſo mendacio & opportunitate tam fauſtâ recuperandis prædiis, quæ perſecutorum ungues chriſtianis abſtulerant, libellum ſupplicem obtulit Imperaturienti Maxentio. Executus in eo paucis quæ deceſſorum barbaries per ſummum nefas Chriſtianæ genti ademerat; obtinuit continuò literas vel Maxentij juſſu vel manu; quibus imperabat Urbis Præfecto, ut quæcumque erepta fuerant Chriſtianis, reſtituerentur citra exceptionem & moram. Ferendis tam auſpicatis literis non alij delecti tabellarij, non alij miſsi ad Urbem quam diaconi ſatagente Melchiade. Teſtatur hoc beatus Auguſti-

* *Melchi Rex Syris.*

Digitized by Google

nus agens de mendaciis Donatiſtarum adverſus innocentem iſtum Pontificem: *Recitaverunt*, inquit, *etiam alia geſta, ubi Melchiadem legebatur miſiſſe diaconos cum literis Maxentij Imperatoris & Præfecti Pratorio ad Præfectum Urbis; ut reciperet loca, quæ fuerant Chriſtianis tempore perſecutionis ablata.* Præmatura illa viri ſancti ſollicitudo fuit gradus ad ſedem, & quaſi omen futuri: ab uno enim illo facinore collegit ſapienter Romani cleri ſagacitas; quanto æſtu conſuleret bono univerſalis Eccleſiæ, quantuſque foret ſummus ſacerdos & Pontifex, qui tantùm presbyter tantus jam erat. Prima electi Melchiadis felicitas fuit, quod ſortitus fuerit Conſtantinum Imperatorem coævum: qui triumphato Maxentio Romam ingreſſus ſentiens referre ſe vicem non poſſe Chriſto, per quem vicerat, quia per crucem, rependit Melchiadi ejus Vicario. Eadem ejus ſors Romæ, quæ deceſſorum & Chriſti, ut nec haberet, ubi *reclinaret caput*, niſi precariò aut in cryptis vel cœmeteriis. Nè coleret poſthac do-

L. ad Donat. poſt Collat. c. 12. & 13.

mum erraticam & ignobilem, datum illi fuit liberalitate Chriſtiani Principis Lateranenſe palatium; quod quamvis Optatus non adfirmet diſertè, ſubobſcurè inſinuat, cum prodit evocatos Romam Epiſcopos conveniſſe in eam domum cum Papa: *Convenerunt*, ait, *in domum Fauſtæ in Laterano*; non aliâ utique causâ, quam quia domicilium eſſet Melchiadis. Quorſum enim ædes tam amplæ pro conſeſſu undeviginti tantùm Epiſcoporum?

§. I.

Cum ſuaviter degeret Melchiades & pacificè in ſplendidis illis laribus, atque inde velut è ſpecula proſpiceret magnæ urbi & toti orbi: facta eſt ex inſperato domus illa ampliſſima domus pacis, quia ſynodi. Occaſio à Donatiſtarum inſaniâ, & pietate Conſtantini. Ad eum enim cum navigaſſent in Gallias frementes adverſus Cæcilianum Carthaginenſem ſchiſmatici, aggreſſi eum continuò ſupplices his precibus interpel-

Digitized by Google

larunt. *Rogamus te*, ut habet Optatus l. 1. contra Parmen. *ô Conſtantine optime Imperator, quoniam de genere juſto es; cujus pater inter cæteros Imperatores perſecutionem non exercuit, & ab hoc facinore immunis eſt Gallia [nam in Africa inter nos & cœteros Epiſcopos contentiones ſunt] petimus, ut de Gallia nobis Judices dari præcipiat pietas tua.* Ad hæc commotior Princeps vix Cathecumenus & jam pietatis emeritæ: *Petitis*, inquit, *à me in ſæculo judicium, cum ego ipſe Chriſti judicium expectem*; ſimulque conciliandæ paci judices deſignavit tres Galliarum Epiſcopos magni nominis Maternum Colonienſem, Reticium Auguſtodunenſem & Marinum Arelatenſem. Conſcius tamen nihil in his ratum fore inconſulto Melchiade, qui ſummus in his controverſiis erat arbiter, ſcripſit illi literas peculiares; quibus rogabat illius beatitudinem, ut unà cum Gallicanis Epiſcopis ſederet cognitor in hac cauſa, æquamque ferret ſententiam inter partes, quæ confligeN v

Euſeb. l. 10. c. 5. bant pervicaciſſimè. *Placuit mihi, ut idem Cæcilianus unà cum decem Epiſcopis, qui accuſare ipſum videntur & cum decem aliis quos ipſe ad ſuam cauſam neceſſarios eſſe judicaverit, Romam naviget; quatenus ibi coram vobis & coram Reticio, Materno ac Marino collegis veſtris, quos eâ causâ Romam properare juſſi, poſſit audiri; quemadmodum ſanctiſſimæ legi convenire optimè noſtis.* Clara ſunt & ſine ullo nodo hæc Conſtantini verba; graviſſimus verò ſe ſtatim offert in apice literarum, qui ſic ſe habet: *Conſtantinus Aug. Miltiadi Epiſcopo Urbis Romæ & Marco.* Μιλτιάδῃ ἐπισκόπῳ ῥωμαίων καὶ Μάρκῳ. Germanam opinatur iſtam epigraphen Valeſius ſuis notis in illud caput Euſebij: cenſetque hunc Marcum eſſe, qui Silveſtri Papæ fuit Succeſſor. Subodoratus mendum in eo textu Baronius pro *Marco* legit *Hierarcham*; quod Valeſius rejicit ut ſuperfluum eò loci. Intactam verò relinquit, quod ignoraret fortè, conjecturam Perronij; qui legendum putat libro

Ad. an. 313. n. 23.

primo ſuæ Reſponſionis ad Regem M. Britanniæ c. 46. καιρὸν μακρὸν, id eſt *vitam diuturnam* ſeu *longos annos*, ita ut ſancto Papæ veluti ſeniori verbis illis apprecatus fuerit Conſtantinus vitam longiſſimam. Expendemus deo dante iſtas doctorum conjecturas in noſtris diſſertationibus; ſatis ſit hîc delibaſſe eas, nè caliget lector in hoc ænigmate.

§. II.

Cum Romam ſe recepiſſent ex Conſtantini mandato partes & judices, Epiſcopi ſcilicet Gallicani nec non & Cæcilianus & Donatus à Caſis Nigris ſinguli cum decem Epiſcopis ſuarum partium; ſexto Nonas Octobris feriâ ſextâ convenere in domum Fauſtæ in Laterano cum Melchiade, qui diſcuſſurus hanc litem in pondere & ſapienter quindecim Italiæ Præſules evocaverat ſuâ autoritate; ut & ipſi conſiderent judices in hoc negotio. Ventilatâ causâ per triduum cum Cæciliani accuſatores negarent ſe habere quicquam, quod in eum

jure objicerent, abſolutus tandem fuit Cæcilianus Epiſcoporum ſuffragiis, ſoluſque decretoriam ſententiam pronunciavit Melchiades iſtis verbis, ut legitur apud Optatum: *Cum conſtiterit Cæcilianum ab iis, qui cum Donato venerunt, juxta profeſſionem ſuam non accuſari, nec à Donato convictum eſſe in aliqua parte: ſua communioni Eccleſiaſticæ integro ſtatu retinendum eſſe meritò cenſeo.* Non contentus Melchiades abſolviſſe innocentem nihil non fecit, quò ſchiſmaticos revocaret ad unitatem Eccleſiæ: nam adeo non tentaverit aut cogitaverit amovere eos à ſua communione; ut paratus eſſet invitare eos *Communicatoriis* ſeu *Pacificis* literis. Imò & ratus nullam huic conſilio fore efficaciorem illecebram, quam ſi Epiſcopis ordinatis à Majorino retinendæ ſedis ſpem faceret, deſiderio unitatis remittens diſciplinam Eccleſiaſticam voluit ex diſpenſatione; ut ubicumque ſimul præeſſent duo diverſarum partium, confirmaretur; qui ordinatus prior; alteri quæreretur nova Ec-

Digitized by Google

cleſia. *Qualis*, ait B. Auguſtinus, *ipſius beati Melchiadis ultima eſt prolata ſententia, quam innocens, quam integra, quam provida atque pacifica, quâ neque collegas, in quibus nihil conſtiterat, de collegio ſuo auſus eſt removere; & Donato ſolo, quem totius mali principem invenerat, maximè culpato ſanitatis recuperandæ optionem liberam cæteris fecit paratus Communicatorias literas mittere etiam iis, quos à Majorino ordinatos eſſe conſtaret: ita ut quibuſcumque locis duo eſſent Epiſcopi, quos diſſenſio geminaſſet, eum confirmari vellet, qui eſſet ordinatus prior, alteri autem eorum plebs alia regenda provideretur.* Laudanda ab omnibus iſta ſanctiſſimi Papæ ſuavitas œconomica; commendata ſaltem ibidem ab Auguſtino qui paternam laudans ejus providentiam exclamat in has voces: *O virum optimum! O filium chriſtianæ pacis & patrem chriſtianæ plebis!* His tam prudenter confectis quæcumque geſta fuerant in Concilio unà cum ejus Actis miſit Melchiades ad

Epiſt. 162.

Conſtantinum. Cumque deprædicarent omnes tantæ lenitatis judicium & ſperaretur tranquillitas in Eccleſiis Affricæ; exarſere virulentiùs ſchiſmatici cauſantes nonnullos tantùm Epiſcopos clauſiſſe ſe Romæ in quodam loco, judicaſſe ex arbitrio & citra litis cognitionem, auditamque fuiſſe cauſam ab iis ſolùm ex parte. *Poſt pacificum moderamen judicij Epiſcopalis*, ait B. Auguſtinus, *omnis contentionis & animoſitatis pertinacia debebat extingui. Sed rurſus majores veſtri ad Imperatorem redierunt & non rectè judicatum, neque omnem cauſam auditam eſſe conqueſti ſunt.*

Epiſt. 68.

§. III.

Contenti Donatiſtæ latrare in Synodum Romanam & conqueri de Epiſcopis & potiſſimùm de Melchiade nullam interim inuſſerunt maculam ejus nomini: ſicque illibata & ſine ulla aura ſceleris vernavit Melchiadis fama per multos annos; donec tandem naſutiores vel ſceleratio-

Calumnia in Melchiad.

res eorum poſteri elevaturi ejus judicium & demonſtraturi quæcumque geſſerat, eſſe irrita, exacto tantùm non poſt ſententiam latam ſæculo fœdiſſimæ Traditionis crimine denigrarunt memoriam innocentiſſimi Papæ. *Adhuc dies erat*, ait Auguſtinus, *quando volentes deſtruere judicium Romani Epiſcopi Melchiadis, quo purgatus eſt & abſolutus Cæcilianus, etiam ipſum Melchiadem Traditorem fuiſſe dixerunt.* Abſterſa tamen fuit ſplendidè turpiſſima illa macula in celebri Epiſcoporum Collatione Carthagine habitâ. In ea enim cum Cognitor interlocutus compuliſſet Donatiſtas, ut contra judicium Melchiadis, ſi haberent aliquid, dicerent: cœpiſſentque ipſi Melchiadem crimine Traditionis arguere & affirmare declinatum ideo à majoribus ſuis ejus judicium, quod Traditor fuiſſet; in auras prorſus evanuit impudentiſſima criminatio, quod nullis teſtibus aut tabulis probaretur. *Cujus criminationis*, inquit loco laudato Auguſtinus, *cum ab eis eſſet exacta probatio, Geſta*

Lib. ad Donat. poſt. Collat. c. 12.

prolixiſſima recitarunt ; ubi Melchiadis nomen , quod aliquid tradiderit , non fuit. Nonnullis interpoſitis addit ; *ubi cum Melchiadis crimen penitus nullum appareret : dixerunt ſuperioribus traditionis Geſtis Traditorem Stratonem fuiſſe recitatum.* Sic vindicata fuit S. Pontificis innocentia , ut fusè prodit beatus Auguſtinus in Breviculo Collationis diei tertiæ c. 18. Intelligens Melchiades nullam eſſe *partem fideli cum infideli* , non debere ſcilicet Chriſti cultores habere ullam ſimilitudem cum cultoribus idolorum : vetuit ſapientiſſimè , ne diebus Solis & Jovis , id eſt die Dominico & & feriâ quintâ , jejunaretur à Chriſtianis , eò quod dies illi ex religione eſſent eſuriales Ethnicis ſacrumque celebrabant jejunium. Statuit inſuper , ut obſcurè & ferme inintelligibiliter prodit Liber Pontificalis ; *ut oblationes conſecratæ per Eccleſias ex conſecratu Epiſcopi dirigerentur, quod declaratur Fermentum.* Caligant in his tenebris aquilæ ; non libet immorari circa hunc nodum ;

cum ſingulari diſſertatione debeamus explanare Deo dante iſtud ænigma. Paſſus Melchiades ſub Maximiano non quæ volebat nec quantum, qui non tormenta ſolùm ſed & optabat mortem : non datum tamen : & tamen datus illi martyris titulus, licet talis non fuerit, niſi voto. Florente & triumphante Eccleſiâ obiit ſub Conſtantino : dimiſſus in pace velut Evangelicus Simeon poſt hauſtas per duos annos, menſes duos, & ſeptem dies Pontificatus moleſtias tranſiliit ad *Viſionem* pacis ſanctam & triumphantem Jeruſalem.

Chriſti 313. Decem. 10.

S. SILVESTER

Papa XXXIV.

Chriſti 314. Conſtantini Imper. 9.

ELIGENTIUM calculis conſcendit ſolium natalis Romæ Silveſter Rufini filius factus è presby-

tero Pontifex Maximus & Melchiadis ſucceſſor. In provecto nihil agreſte erat, nihil tetricum niſi nomen; quod tamen velut omen fauſtiſſimum innuebat Silveſtri animam fore ſylvam pulcherrimam meritorum inſignium & excellentiorum virtutum. Inſularum ejus auſpiciis cum Conſtantini favore floreret pacis ſerenitas in Eccleſia Chriſti, nec ulli uſpiam tyranni graſſarentur; indignati Melchiadis judicio Donatiſtæ novos concitarunt tumultus & fremebant paſſim per Affricam. Auſi ergo, quod ante, rurſus interpellarunt Conſtantinum; ut cum in conſeſſu Romano diſcuſſa fuiſſet perfunctoriè nec planè audita eorum cauſa à deſignatis Epiſcopis, dignaretur pro ſua benignitate alios convocare; qui eam rem tractarent iterum & accuratiùs, quam Romani. Agens nimis benignè, ne dicam nimis molliter, Imperator quam deceret erga ſchiſmaticos refractarios ádempturus lymphaticis omnem tumultuandi prætextum ſynodum longè numeroſiorem priore collegit apud Arelaten in Gallia. Veroſimile eſt

Silveſtrum, ut par erat: invitatum illuc literis Conſtantini: idque evidenter colligimus ex epiſtola ſynodica, quam Silveſtro ſcripſere Patres Arelatenſes his verbis: *Et utinam, frater dilectiſſime, ad hoc tantum ſpectaculum intereſſe tanti feciſſes. Profectò credimus quia in eos ſeverior fuiſſet ſententia prolata, & te pariter nobiſcum judicante cœtus noſter majore lœtitiâ exultaſſet. Sed quoniam recedere à partibus illis minimè potuiſti, in quibus Apoſtoli quotidie ſedent &c.* Cum autem optimus Pontifex per ſenectutem aut valetudinem dubiam intereſſe & præeſſe ipſe non poſſet; miſit duos presbyteros & diaconos totidem, qui utrumque obirent in ejus locum tamquam illius Vicarij. Sortita hæc ſynodus eumdem exitum, quem Romana, Cæciliano abſoluto damnavit ejus accuſatores. Interim ne deeſſent officio, quo tenebantur erga Silveſtrum, ſcripſere Patres plenas reverentiæ literas, ut liquet iſtis verbis in ipſo limine: *Communi copulâ charitatis & unitate matris Eccleſiæ Catholicæ vinculo inhærentes*

Literæ ſynodi ad Silveſtr.

ad Arelatenſium civitatem piiſſimi Imperatoris voluntate adducti inde te, religioſiſſime Papa, cum merita reverentia ſalutamus.

§. I.

Cum ſignificaſſent ei deinde non tractaſſe ſe tantùm ea, quorum gratiâ illuc convenerant, ſed inde raptam occaſionem conſulendi præterea neceſſitatibus Eccleſiarum condendo canones ſaluberrimos eo conſilio: monent ejus beatitudinem ſe tranſmittere ei ſtatuta, quæ ediderant, ut ob principatum Cathedræ Apoſtolicæ, in qua ſedebat, ea diffunderet per cæteras orbis Eccleſias. Sunt tamen, qui putent confirmationem ſimul & publicationem horum canonum his literis poſtulatam à Patribus Arelatenſibus authoritate Silveſtri. Si quis enim textum mutilum ſcriptæ epiſtolæ, ut paſſim exſtat in Conciliis: *Placuit etiam antequam..... à te qui majores dioceſes tenes, per te potiſſimum omnibus inſinuari*; legerit ſic emendatum à Cardinali Perronio l. 1. c. 46. ſuæ Reſponſionis ad Regem M.

Britanniæ, *Placuit etiam hæc juxta conſuetudinem antiquam ad te, qui majores dioceſes vel majores dioceſeos tenes, & per te potiſſimum omnibus inſinuari*: intelliget nihil petitum aliud à Silveſtrò, niſi ut Paſtorali ejus *Marca* ſollicitudine canones ab iis editi reli- *l. 7. c.* quis Eccleſiis innoteſcerent. Qui verò *14. n. 2.* patentem hujus clauſulæ hiatum ſive lacunam partim ex Baronio partim ex nobis, ſi id liceat; expleverint iſto pa- *Ad an.* cto; *Placuit etiam, antequam edantur,* *314. n.* *probari à te, qui majores dioceſes tenes,* *67.* *& per te potiſſimùm omnibus inſinuari*: fatebitur haud dubiè poſtulatam à Silveſtro canonum confirmationem ſimul & publicationem per totum orbem ejus mandato. Non datum Silveſtro fuit ſpargere canones per totum orbem, ut optabat & rogabatur à Patribus, quia non datum demorari in Urbe. Colebat quidem illam nec divellebatur per diem ab ejus ſinu, quamdiu liberè potuit conſulere ſuis ovibus: deſeruit verò ubi & illis & ſibi affulſit umbra periculi à Conſtantino. Promoverat Princeps optimus rem chriſtianam,

credebaturque promoturus· eam in dies maximè ubi exploſâ Aruſpicinâ vetuit; nè ejus profeſſores ad privatorum domos accederent. At verò ubi haud multò poſt fatigatus querimoniis Romanorum revocavit veterem obſervantiam, quam expunxerat, conſulendoſque dixit Aruſpices, ſi quid contingeret inſolentiùs: ex his vicibus Conſtantini ſic alternantis orta & ſparſa Chriſtianos inter ſuſpicio mutaſſe eum fidem cum moribus: nec ſuſpicio tantùm, ſed & pluſquam probabilitas; cum reſtauratæ Aruſpicinæ prætextu inſcio tamen Conſtantino traherentur Chriſtiani à magiſtratu ad ſacrificia Idolorum. Et quamvis nullo delectu habito nullâ habitâ ratione perſonarum aut ſexus ferveret in Chriſtianos omnes moles invidiæ: incubuit maximè in eorum caput & Antiſtitem ſanctum Silveſtrum; qui recolens ſcriptum, *cum perſequentur vos in civitate iſta, fugite in aliam*, conſulturus ſuo gregi non ſibi ab Urbe fugit in * Soracten monticulum, qui eminebat haud procul. Quæſitæ in ejus ſinu ſubterraneo late-

Math. 23.

* *Mont St. Silveſtre.*

Digitized by Google

bræ ſubduxerunt ſpontaneum exulem carnificinæ gentilium. Moratus ibi Silveſter cum presbyteris & diaconis, qui ſtipaverant, ad uſque Conſtantini reditum è Pannonia.

§. II.

Ut meminiſſet princeps oneratus victoriis ſe hominem, retraheretur-que à *cultu Deaſtrorum*, ut ait Glycas, in quem autore uxore Fauſtâ defecerat: percuſſit eum Deus in pœnam morbo fœdiſſimo nonnullorum etiam Regum, Leprâ. Feralis morbus & qui non niſi ſanguine infantium ſanaretur, certuſque erat Conſtantinus adhibere hanc medicinam: cumque jam pararet iſtiuſmodi balneum medicorum conſilio, viſi in ſomnis dormienti præcepere Apoſtolorum Principes Petrus & Paulus; ſi vellet mundari à leprâ, quâ laborabat, quæreret ſibi alium medicum & remedium aliud, quam quod huic malo admovebatur ex uſu: in Soractis montis ſpelunca Silveſtrum deliteſcere, hunc accerſeret incunctanter: eſſe in ejus

L. 4. hiſt.

Digitized by Google

manibus medicinam ſaluberrimâm, quæ ſanaret eum certiſſimè & citra ullum dolorem; non aliam eſſe quam ſalutare baptiſmum; daturum illi duo bona ſalutem animæ & corporis ſanitatem. Obſequutus illico Imperator expedit incunctanter, qui ad ſe evocarent Silveſtrum; qui primo adſpectu militum ratus ſe vocari ad coronam martyrij, quam optabat, converſus ad clericos ſummâ cordis alacritate, *Ecce nunc*, inquit, *tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis*. Addidit fortè; *Eamus & moriamur cum illo*. Profectus ſiſtitur coram ægroto Principe, primoque ingreſſu ſalutans eum reverenter; *Pax tibi*, ait, *& victoria de cœlo miniſtrentur*. Ad adventum ſui medici factus hilarior Conſtantinus vultu placidiſſimo eum excepit; exorſuſque narrationem eorum, quæ dicta & imperata fuerant ſibi per noctem denuntiavit paratum ſe exequi quidquid juberet; detrectaturum ſe nihil, quò reciperet ſanitatem; ad hoc ſi opus erat baptiſmo, ſine ulla mora velle intingi. Rogavit poſt iſta; quinam dij eſſent Petrus

&

& Paulus, qui dignati eum inviſere & pro ſalute ejus ſolliciti ejus latebras detexiſſent? Ad hæc Silveſter; Dij non ſunt, inquit, Petrus & Paulus, ſed ſervi veri Dei & Apoſtoli Jeſu Chriſti miſſi ab eo, ut prædicarent Evangelium per totum orbem. Cumque omni dubitationi tollendæ ab eo quæſiſſet Imperator, ſi haberet aliquam imaginem, quæ repræſentaret graphicè eorum vultus; eam oſtenderet, ut intelligeret ex pictura, an apparuiſſent ij ipſi, nec ne: delatas ſtatim Apoſtolorum imagines exhibuit ei Silveſter; ad quarum contemplationem affectus Imperator exclamavit continuò eſſe ipſos ipſiſſimos, quos nocte proximâ viderat; ſatis ſuperque eſſe, ſe nihil optare amplius, niſi ut citra moram conferretur illi baptiſma, quod imperatum fuerat ab Apoſtolis.

§. III.

Ne imparatus Princeps accederet ad hanc gratiam, præmonuit eum ingenuè ſanctiſſimus Pontifex, quid ex uſu faciendum illi incumberet, priuſ-

O

Digitized by Google

quam undis ſaluberrimis irroraretur: neceſſe eſſe, ut poſitâ per dies ſeptem ad minus majeſtate perſonæ, cultu regio, coronâ, Imperatoriâ abdicatis negotiis procul fieret à convictu & emeritus licet efficeretur tyro & catechumenus in caſtris militiæ Chriſtianæ. Hæc & alia perlibenter ſubiit Conſtantinus ſubiturus multò majora, quò ſalutis compos fieret & ſanitatis: donec tandem imbutus à Catechiſta ſanctiſſimo Summo Pontifice Chriſtianæ fidei elementis paucis dumtaxat arbitris illucente Sabbato Silveſtri manu ſuſcepit baptiſmum non palam, ſed intra privatos parietes Lateranenſis palatij. Deterſa lepra continuò, ubi emerſit è fonte in quem tingendus intraverat, & tam feliciter; ut nec remanſerit ullum veſtigium. Sunt & qui addunt baptizato Imperatori affulſiſſe ſplendorem è cœlis, porrectamque illi manum à Chriſto ex hoc fulgore. Ex hoc reſtitutæ ſanitatis miraculo factus piè prodigus Conſtantinus autore S. Silveſtro complures ædificavit baſilicas: repenſurus inſuper gratiam eâ viâ, quâ poterat, multa ſuo, ut aiunt,

Baptizat. Conſtinum.

Digitized by Google

medico per id temporis contulit beneficia, ſceptrum, coronam & ſi quæ ſunt inſignia mejeſtatis; imò & Romam ſi non donavit illi, ſaltem reliquit, memor duo majora luminaria non poſſe ſimul & ſemel lucere in eodem mundo, nedum in Urbe. Exhibuit & ad reverentiæ cumulum humiliora officia, quale Stratoris; ſtravit ſcilicet Silveſtri equum & correpto fræno ſeſſitantem deduxit coram populo inſtar pediſſequi. Quo autem anno & quo crimine fuerit accuſatus, nemo prodit; impacta innocenti Papæ flagitia ſuâ epiſtolâ ad Gratianum prodit Romana ſynodus his verbis: *Silveſter Papa à ſacrilegis accuſatus apud parentem veſtrum Conſtantinum cauſam propriam proſecutus eſt.* Priuſquam hæc florente Eccleſiâ gererentur in Occidente; ab Alexandrino Epiſcopo Alexandro venerant haud multò antea literæ [ut conſtat Liberij Papæ epiſtolâ ad Imperatorem Conſtantium, quæ exſtat in Bibliotheca Patrum] quibus Silveſtrum faciebat certiorem blaſphemiarum; quas ob negatas ſibi Alexandriæ infulas ſpargebat paſſim Arius

in Salvatorem. Inhorruit, ut par erat, optimus Pontifex ad tam lugubre nuntium; cumque intelligeret eſſe ſui muneris partes collidere hæreſes, ex quo ebulliunt, delegavit continuò virum celeberrimum Oſium Cordubenſem; ut erumpentem ſcintillam ſuâ authoritate extingueret.

§. IV.

Cum autem certiſſimis nuntiis poſtea comperiſſet invaleſcente per Orientem hæreſi; majori opus eſſe remedio ſynodo œcumenicâ; quæ graſſantem hanc peſtem ſuâ mole obrueret [quidquid aliqui garriant in contrarium] convocavit concilium generale unà cum Conſtantino: idque disertè profitentur Patres Sextæ Act. 18. Synodi generalis his verbis: *Conſtantinus ſemper Auguſtus & Silveſter celeberrimus collegerunt Nicææ maximam & illuſtriſſimam ſynodum.* Κωνσταντῖνος ὁ ἀεισέβαστος καὶ Σίλβεστρος ὁ ἀοίδιμος τὴν ἐν Νικαίᾳ μεγάλην καὶ περίβλεπτον συνέλεγον σύνοδον. Nec collegit

dumtaxat Concilium, ſed & interfuit & præfuit in Legatis tribus Oſio Epiſcopo, & duobus Romanæ Eccleſiæ presbyteris Vincentio & Vito ſive Victore. Et illi cum detuliſſent Silveſtro, quæcumque definita fuerant illo conſeſſu; coactis ſtatim ad ſynodum Epiſcopis octoginta quatuor ſupra ducentos ea rata habuit coram Patribus & confirmavit his verbis: *Silveſter Epiſcopus S. & Apoſtolicæ ſedis urbis Romæ dixit, quidquid in Nicæa Bithyniæ conſtitutum eſt ad robur S. Matris Eccleſiæ Catholicæ & Apoſtolicæ à S. Sacerdotibus trecentis decem & octo, noſtro ore conformiter confirmamus.* Totus interim erat Silveſter, ut faceret Romam ſanctam, cultoreſque idolorum traduceret ad cultum Chriſti: uſus ad hoc non tantùm verbis & illibatis moribus, ſed & interdum miraculis. In ſpecu Capitolii latebat draco tam peſtilens, ut halitu ſuo auram inficeret & enecaret paſſim homines: tam noxium animal non alio interemit Silveſter enſe, quam quo Chriſtus ſerpentem inferorum cruce: ubi

Digitized by Google

enim belluam afflavit hoc venerando ſigno, occidit. Incredibile eſt, quantos adoratores Chriſto pepererit repentinus iſte interitus: enituit inter inſigniores & ſupra omnes Calpurnii Præfecti Urbis filia *Romana* gente & nomine; quæ non contenta ſub Chriſto Jeſu merere velut ancilla; religioſo & laudabili ambitu auſa fieri ejus ſponſa, cum virgo, obtulit Chriſto virginitatis lilium: & ad hoc calcar illi & author S. Silveſter. Author idem extitit Conſtantino; ut ædificaret ædes ſplendidas in honorem Apoſtolorum Principum Petri & Pauli, primam in Vaticano, alteram viâ Oſtienſi: utramque dedicavit Silveſter ritu ſolemni quemadmodum & baſilicam Salvatoris; priuſquam tamen in iis Miſſas ageret, expiavit religioſis ritibus; inde orta ſacrarum ædium conſecratio ſaltem ſolemnior. In extruendis altaribus nihil mutavit, niſi materiam: præſentiens enim inſtauratâ jam pace in Eccleſia Dei declinandis tortoribus non fore opus impoſterum arâ portatili ſive ligneâ; decrevit ſapienter ut cum altare ſit fi-

gura Chriſti, qui *Lapis Angularis*, nullum exſtrueretur niſi ex lapide, nec celebraretur uſpiam niſi in altari lapideo. Exceptum tamen voluit ab hoc decreto, unum dumtaxat, altare ſcilicet S. Petri, quod ligneum; illudque cum ſupereſſet adhuc intactum, collocavit intra ſeptum Lateranenſis baſilicæ, ut venerandam reliquiam; cavitque honoris causâ, nè quis niſi Romanus Pontifex Miſſas in eo celebraret.

§. V.

Sollicitus mirum in modum circa œconomiam Eccleſiaſticam ſtatuiſſe proditur S. Pontifex, nè quis præter Epiſcopum Chriſma conficeret; ut presbyter eo perfunderet baptizati caput in vertice; ut in Eccleſia diaconi uterentur Dalmaticis & ſiniſtra eorum manus obtegeretur Pallâ ſive ſtola linoſtimâ contextâ ex lana & lino, quæ ab iis ſiniſtro humero deferretur. Edixit inſuper, quod jam ſtatutum à S. Euſebio diximus, ut quemadmodum corpus mortui Salva-

toris obvolutum fuerat lineâ ſindone; ita etiam conſecraretur à ſacerdotibus, non in ſerico aut pretioſo panno, ſed in lineo procreato à terra. Nec ſolùm præſcripſit iis, qui cooptabantur in clero, quanto tempore ſinguli defuncturi eſſent ſuis functionibus & exercitio ordinis, antequam proveherentur altiùs: ſed & proſpiciens diſpenſationi redituum juſſit, ut quadrifariam dividerentur; ita ut pars una cederet Epiſcopo, clericis altera, reliquæ duæ impenderentur Eccleſiarum fabricis & ſuſtentandis pauperibus. Exceptâ die Dominicâ & Sabbato reliquos dies hebdomadæ, ut inoleverat antea, appellari voluit nomine *Feriarum*; ut intelligentes Clerici vacare ſe à curis & negotiis ſæcularibus memores eſſent verbi Prophetici; *vacate & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus*, & vacarent uni Deo quotidie. Hæc una Silveſtri cura erat & pietas; & hanc ut aleret coram hominibus, mirè liberalis erat in pauperes. Præter ſtatuta illa ſanctiſſima inſtituit, ſi fides Polydoro Virgilio, *l. 6. c. 8. de Inven-*

tione rerum, feſtum ad Chriſti vin-
cula rogatu Conſtantini. Cum præ-
luceret ſanctiſſimus Papa his operi-
bus & aliis ejuſdem claritatis; à
triumphante Eccleſia ſub Conſtanti- *Chriſti*
no tranſiit ad triumphantem ſub 335.
Chriſto, cum jam militantem re- *Decem.*
xiſſet annos viginti unum, decem 31.
menſes & unum diem. Dignus qui
vidiſſet Petri annos & ultra.

§. VI.

Baptiſmus Conſtantini à Silveſtro admiſſus à S. Eccleſia.

Hæc nos *ſimpliciter* iterum & *confidenter*, ut antea, poſt Breviarium Romanum. Alia ſunt quæ paſſim arrogantur Silveſtro & quæ confutantur à doctioribus; de quibus nos nihil in ejus vita, quia nec verbum de iis in Breviario. Admittitur ab eo Silveſtri fuga, Conſtantini lepra & baptiſmus ab eodem Pontifice, admittitur quoque à nobis. Prodit apparitionem Petri & Pauli, ſanitatem reſtitutam Auguſto, convoca-

Digitized by Google

tionem Nicæni Concilij per Silveſtrum, confirmationem ejuſdem per eumdem petentibus concilij Patribus univerſis, Romanam denique ſynodum, in qua condemnatus fuit Arius; admittimus & nos quoque hæc omnia ſimpliciter & confidenter, quia poſt Romanam Eccleſiam. Cum verò mentionem illa non faciat de diſputatione coram Conſtantino & Helena habitâ Romæ inter Judæos & Silveſtrum; cum nihil libet de Concilio Romano in Titulo Silveſtri congregato coram iiſdem Imperatoribus, viſum & nobis ea explodere; illam maximè ſynodum adulterinam, in qua canone ultimo fertur edixiſſe Silveſter; ut *prima ſedes neque ab Auguſto, neque ab omni clero, neque à Regibus, neque à populo judicetur*, eamque reponimus inter fœtus ſuppoſititios & cœteras Iſidori Mercatoris quiſquilias. Reliqua verò negare præſertim baptiſmum Conſtantino collatum à ſancto Papa Silveſtro [totus licet fermè eruditorum orbis reclamitet] cenſerémus ſummæ impudentiæ eſſe & inſolentiſſimæ temerita-

tis : cum Eccleſia ſancta Romana exertè admittat illum & ex profeſſo ; nec ſemel tantùm quotannis, ſed & tribus diſtinctis vicibus decantari illum jubeat in recitatione officij. In officio enim dedicationis baſilicæ Salvatoris quinto Idus Novembris lectione quintâ ſic canit : *Ubi Conſtantinus Imperator per baptiſmi ſacramentum ſanitatem ſalutemque conſecutus eſt ..... baſilicam nomine S. Joannis Baptiſtæ condidit eo loco, quo ipſe baptizatus à S. Silveſtro à lepra mundatus eſt.* Eodem menſe ſimiliter in dedicatione baſilicæ SS. Apoſtolorum Petri & Pauli decimo quarto Kalendas Decembris in quinta officij lectione ait ; *Illuc Conſtantinus Magnus Imperator octavo die poſt baptiſmum venit.* Die denique feſto S. Silveſtri pridie Kalendas Januarij ad calcem lectionis primæ de Sancto : *Conſtantinus igitur*, ait, *cœleſtibus monitis obtemperans Silveſtrum diligentiſſimè conquiſitum vocat, à quo Apoſtolorum imagines recognoſcens baptiſmo ſanatur.* Quid clarius poſſit optari, quid validius

& majoris roboris afferri poſſit in favorem noſtræ ſententiæ, quam teſtimonium Eccleſiæ univerſalis?

§. VII.

Si in ore duorum aut trium teſtium ſtat omne verbum, ut Chriſtus inquit Mathæi decimo octavo capite verſu decimo ſexto: quantò magis in ore Eccleſiæ triplex de eadem re teſtimonium afferentis? Quid ſolidè cauſari poſſint, qui in hac cauſa non audiunt Eccleſiam teſtem, non video: lego tamen eodem capite ſcriptum, *ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.* Quæ verba non ſunt intelligenda de iis tantùm, qui Eccleſiam nolint audire in rebus fidei; cum Chriſtus Dominus præcipiat eò loci habitum iri talem; qui reus alicujus culpæ in fratrem monitus ab Eccleſia noluerit illam audire. Si Publicanus & Ethnicus, qui non audit eam monentem; nunquid à pari vel à fortiori & qui non audit docentem? Nè dicta dicam, non libet invehi,

Digitized by Google

ut fortè oporteret, in eos; qui callentes probè toties inſertum Breviario baptiſmum Conſtantini ſub ipſum converſionis tempus & à S. Silveſtro; qui intelligentes hunc eſſe ſenſum & hanc eſſe fidem Eccleſiæ elevare irreverenter audent authoritatem tam excellentis compendij toties expurgati, toties recogniti à primæ notæ doctoribus in hiſtoria Eccleſiaſtica verſatiſſimis computando inter fabulas, quod in ejus contextu proditur velut hiſtoria. Audite quid faciant incogitantes, qui hæc dicunt vel ſentiunt; quoties recitant officium iis diebus, quibus fit mentio de baptiſmate Conſtantini à manu Sancti hujus Pontificis, toties dicunt ſi non ore ſaltem in corde; *durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eam audire?* totieſque obtrudunt S. Matri Eccleſiæ, mentiris, hallucinaris, imponis. Ecquis recitare poſſit dignè, attentè ac devotè, quæ ſcit ſcatere mendaciis? Numquid ſapientiæ & fermè neceſſitatis fuerit tranſilire abſonas illas ſententias & detruncare officium ſuopte marte. Si enim Exodi 23.

nefas ſit ſuſcipere vocem mendacij: *Non ſuſcipies*, ait Dominus, *vocem mendacij*, nunquid & nefas eſt recitare? Poterunt ergo doctores illi privati addere vel adimere contra mandatum Eccleſiæ, quidquid collibuerit, ſicque aberrantem corrigere. Magna certè illorum miſeria, qui peccent & non recitantes officium & recitantes: non recitantes, quod imperanti Eccleſiæ non obediant in re gravi; recitantes, quod obſequendo agant contra conſcientiam; vel mentiantur & fingant ſimulantes credere ſe, quod non credunt.

§. VIII.

Quantum præponderet S. Eccleſiæ teſtimonium Euſebij teſtimonio.

Sed, inquiunt aſſertores opinionis contrariæ, Euſebius Cæſarienſis prodit Conſtantinum fuiſſe Nicomediæ baptizatum ſub finem vitæ. Libro enim quarto de Vita Conſtantini capite ſexageſimo ſecundo diſertè ait; *Hæc cum dixiſſet, illi ſolemni ritu*

Digitized by Google

divinas cæremonias peregerunt, injunctiſque ei quæcumque neceſſaria erant, ſacrorum myſteriorum participes eum fecerunt : τῶν ἀποῤῥήτων μετεσχηκέναι. Quid inde doctores? Ergone verum eſt, quia id ſcripſit toties conſultò ſua in hiſtoria vera præteriens & toties mendax Euſebius? & non erit verum, quod ſemper docuit, ſemper credidit, ut habetur in Actis Liberij Papæ, totieſque ſuo inculcat in *Euchologio alitophilos* amans & ſponſa veritatis Eccleſia? Creditis baptizatum ſub finem vitæ Conſtantinum, quia id prodit Euſebius: & non creditis baptizatum à Silveſtro continuò poſt converſionem, cum id aſſeveret Eccleſia. Ergone teſtimonium hominis pluris eſt apud vos & præponderat teſtimonio penè divino, teſtimonio S. Matris Eccleſiæ? Ergone in comparatione nequiſſimi Ariani dicetur iterum S. Eccleſiæ THECEL, id eſt *appenſa es in ſtatera & inventa es Euſebio minus habens?* Vah: *mendaces filij hominum in ſtateris, ut decipiant ipſi de vanitate.* Deci-

piuntur ſaltem vanitate iſti doctores; ideo & ſi quid legerint etiam contra communem ſenſum Eccleſiæ, arripiunt libentiſſimè obtruduntque libentiùs; ut poſſint monſtrari digito & audiri, quod non ſint & ſentiant ſicut cæteri hominum. Cum Chriſtus Dominus Joannis 5. 34. dixiſſet; *Ego autem non ab homine teſtimonium accipio*: afferens poſtmodum rationem hujus ſententiæ verſu 36. ait; *Ego autem habeo teſtimonium majus Joanne*: ſic ſi quis à me quæſierit, quâ de causâ nolim in his adhibere fidem Euſebio, cum complures pietate inſignes & eruditione adhibeant: reſpondere num ſapienter poſſim? Ego autem non ab homine teſtimonium accipio, cum ſuppetat teſtimonium longè excellentius & citra comparationem magis authenticum S. Eccleſiæ. Hæc mea Cynoſura, hæc ſtella, quam ſequor; & quam ſequi omnes debemus in cauſis fidei ex neceſſitate; in aliis per reverentiam & ex amore. In his qui dedignetur ſequi ducem tam oculatam & perſpicacem, vel putat cali-

Digitized by Google

gare illam, vel deſpicit. Caveat tam arroganter ſuperbus, nè deſpiciat ſimul rectorem ejus & ducem Spiritum Sanctum. Nam ſicut dicente Chriſto Joannis 5. 23. *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui miſit illum*: ita & qui aſpernatur Eccleſiam in his, quæ piè credit; aſpernatur Sanctum Spiritum, per quem credit. Hæc & alia fuſius, Deo dante, diſſertatione peculiari, in qua expendemus hunc nodum. Libet tantùm ad erubeſcentiam ſecus ſentientium hîc afferre facinus ingenioſiſſimum Æmilij Scauri viri inter Romanos clariſſimi; qui cum longâ oratione fuiſſet accuſatus à Vario Sucronenſi, quod acceptâ à Mithridate pecuniâ patriam prodidiſſet; confutaturus uno penè verbo accuſationem tam abſonam coram populo: *Varius Sucronenſis*, inquit, *Æmilium Scaurum mercede regiâ corruptum aſſeverat; negat Æmilius Scaurus: utri amabo creditis?* Nominato accuſatore & accuſato populus accuſatum ſtatim abſolvit authoritate permotus viri graviſſimi. Conclude

Lector. Affirmat Eccleſia baptizatum à S. Silveſtro Conſtantinum; negat Euſebius. Utri credis? Eritne, qui rurſus Barrabbam velit Chriſto præponere?

SANCTUS MARCUS
Papa XXXV.

Chriſti 336. Conſtantini Imper. 31.

EADEM Marco Priſci filio patria, quæ Silveſtro; data & illi ſedes eadem die decimâ quintâ ab ejus obitu; cum S. Romanæ Eccleſiæ eſſet diaconus Cardinalis. Eminuiſſe illum in clero veluti ſolem, & antiſtaſſe omnibus ſapientiâ; ſatis ſuperque conſtat ex hac electione. Colligit eam Valeſius & excellentiam meritorum ejus inſignium ex eo, quod Conſtantini literis ad Melchiadem deſignatus ab Imperatore nominatim, ut ipſe opina-

tur, in earum apice, fuerit: ut unà cum beatiſſimo Papa Silveſtro & tribus Epiſcopis Gallicanis, quos delegaverat, expenderet Cæciliani cauſam & judicaret in Synodo Romæ habitâ ſub Melchiade. Videtur tamen nobis minùs veroſimilis hæc conjectura viri doctiſſimi: quemadmodum & literæ Athanaſij ad Marcum Papam & Marci viciſſim ad Athanaſium, quæ extant primo tomo Conciliorum ſcriptæ ſub ipſum tempus electionis Marci in Papam. Qui enim ſunt emunctioris ingenij ex ratione maximè temporis ſubodorantur eſſe ſuppoſititias, & proſcribunt ut fœtus obtruſos ab Iſidoro. Ut'ut ſit inſtare cœpit continuò ſaluti animarum; ubi Marcus compos extitit cathedræ Apoſtolicæ: ideo & cum ſentiret non eſſe capiendæ fidelium multitudini, quas authore Silveſtro Conſtantinus erexerat baſilicas; excitavit & ipſe perliberaliter intus & foris; alteram intra Urbem ad Palatinas, aliam in pomærio viâ Ardeatinâ. Fatum erat Oſtienſis Epiſcopi vel privilegium, ut inauguraret Summum Pontificem: idque fortè indul-

Digitized by Google

tum illi ab Eccleſiæ cunis. Quò ſplendidius obiret iſtam perſonam; ſtatuit quam ſapienter Marcus, ut defuncturus hoc munere Oſtienſis uteretur pallio ad majeſtatem: decrevitque prætérea, ut & Urbis Epiſcopus illius manibus conſecraretur ſemper, nunquam ab altero. *Conſtituit hic, ut Epiſcopus Oſtienſis, qui conſecrat Epiſcopos Urbis tunc pallio uteretur & ab eodem Epiſcopus Urbis conſecraretur*, ait Liber Pontificalis; qui nullum aliud ſtatutum Marci commemorat in ejus vita. Produnt tamen Ciaconius & Platina ſine ullo authore [quamvis propoſitione 23. Raduphus Tungrenſis diu id prodidiſſet antea] fuiſſe conſtitutum à Marco; ut Symbolum Nicænum à clero ſimul & populo decantaretur poſt Evangelium in Liturgia diebus ſolemnioribus; quod quidem verum eſſe non poteſt: cum teſtis oculatus Berno Augienſis c. 2. libri de pertinentibus ad Miſſam diſertè prodat, anno tantùm milleſimo decimo quarto fuiſſe imperatum Romæ à Benedicto Octavo, idque precibus S. Henrici Imperatoris; ut

Nicænum Symbolum cantaretur in ſacrificio Miſſæ. Geſſiſſet plura, niſi obiiſſet præmaturè; qui à Januario ad Octobrem dumtaxat ejuſdem anni Eccleſiæ præfuit octimeſtris Epiſcopus. *Conſummatus in brevi complevit tempora multa*, qui nec implevit annum in ſede. Quot meritorum radiis inclaruerit; quam ſtrenuus fuerit rerum omnium aſpernator & mundi, quam carus ſuis extiterit pauculo illo tempore, quo gubernavit Eccleſiam; contextis ad Hexametrorum normam Pentametris tradit Damaſus Papa fermè ſynchronos eo Epitaphio; quod in ejus honorem compoſuit & in quo componit illum cum Marco Evangeliſta.

Chriſti 336. Octobr. 7. Sap. 4.

Vita fuit Marci, quam novimus omnes,
Ore Dei poſſet qui temnere mundum:
Oravit, populus quod diſceret omnis.
Vitæ grandis honor, contemptus habendi,
Virtus obtinuit penetralia cordis.

Digitized by Google

Hic Marcus Marci vitâ, fide, nomine conſors
Et meritis.

SANCTUS JULIUS
Papa XXXVI.

Chriſti 336. Conſtantini Imper. 31.

PACIFICUM Papam excepit bella & pugnas ſpirans ipſo nomine Julius Ruſtici filius gente Romanus; qui à capite ad calcem ita ita totus fuit in præliis; ut à primo Pontificatus die ad ultimum continuo certamine pugnaverit adverſus Arianos. Nè ſolus confligeret in hæreticos, ipſis inſularum auſpiciis collegit Romæ ſynodum Epiſcoporum centum & ſexdecim: nec aliâ cauſâ, quam ut deliberaret cum iis; quâ ratione poſſet conſulere fratribus orthodoxis, qui furore Arianorum vapulabant atroci-

Digitized by Google

ter in Oriente; indeque dolor & triſtitia Julij. *Ad hoc*, inquit, *convenimus, ut. . . . pro fratrum oppreſſione tractantes laboremus : quia dum illi tam graviter affliguntur, nos nec reſpirare nec quieſcere poſſumus ; quia dum membra vexantur, corpus reliquum pacem aut quietem habere minimè poterit.* In neminem ſævitum tam ferociter, quàm in vindicem divinitatis Chriſti Athanaſium ; tunc maximè, quum redux Treviris, ubi exulaverat per biennium, ſuam placidè regebat Alexandriam. Inde non ſolùm impatientia Arianorum, ſed furor; qui ut deturbarent illum iterum ſuâ ſede haberentque Julium ſuffragatorem, miſſis ad ſanctum Papam legatis Macario, Martyrio & Heſychio novis onerarunt calumniis innocentiſſimam Athanaſiij animam. Venere quoque per eoſdem dies legati à ſynodo Alexandrina ſimul & Athanaſio ad eundem Pontificem in gratiam Athanaſij. Teſtis ipſemet Apologiâ, ſecundâ, in qua diſertè inquit; *Hæc quidem Ægyptij ad omnes & ad Epiſcopum Romanum Julium ſcripſere.* Di-

gladiati multis & ſæpè coram Julio legati Arianorum cum refellerentur ſtrenuè ab iis, quos Athanaſius ad ſuam defenſionem miſerat, nec reſpondendo eſſent; poſtularunt tandem à Julio, ut pro authoritate apicis, quo eminebat, colligeret Concilium generale, illucque evocaret Euſebianos unà cum Athanaſio: non tamen miſſi ab Arianis fuerant eo conſilio ad Julium, ſed tantùm ſuffuraturi communionem cum eo, quò audirent & haberentur Catholici: uſique ad hoc hæreticorum fallaciis. Priuſquam enim legati Athanaſij perveniſſent Romam, jam authores Julio fuerant Euſebiani; ut ſcriptis literis presbyterum quemdam Piſtum accerſeret velut Catholicum & vindicem veritatis: idque cum ſimplicitate ſimul & conſtantiâ Evangelicâ detrectaſſet ſapientiſſimus Pontifex; citatum Romam Piſtum, per Athanaſij presbyteros factus certior quis ille eſſet & qualis, noluit admittere ad colloquium. Factum inde, ut indignati Arianorum legati inſalutato Julio intempeſtâ nocte ſe proripuerint Alexandriam.

Petunt Concil. general.

§. I.

Hæc omnia prodit fideliter ipſemet Julius ſuis ad Arianos literis; quibus recenſens quæcumque in hac legatione contigerant, hæc hiſtoricè ſcripſit ut auritus ſimul & oculatus teſtis. *Legati veſtri Macarius preſbyter & Heſychius diaconus nullo modo, cum huc veniſſent, pares preſbyteris ab Athanaſio miſſis fuere; ac ſemper ab illis convicti refutatique Concilium indici poſtularunt, literaſque & ad Euſebianos & Athanaſium Alexandriam, quibus convocarentur, mitti; ut coram omnibus juſto judicio de cauſa cognoſci poſſet; tum enim ſe de Athanaſio probaturos eſſe, quod jam nequirent: publicè enim coram nobis Martyrius & Heſychius refellebantur Athanaſij preſbyteris bonâ cum fiduciâ alacriter reſiſtentibus. Martyrius verò cum ſuis (ſi vera dicenda ſunt) ubique profligabatur, ac proinde Concilium generale poſtulavit.* Subjungens poſtea; quæ perſuadere ei volebant in gratiam Piſti: *Antequam*, ait, *judicio ſe ſiſ-*

Digitized by Google

terent Athanaſii presbyteri, auctores nobis fuere, ut ſcriberemus Alexandriam cuidam Piſto: quo tempore etiam tum Epiſcopus Athanaſius Alexandriæ verſabatur. Hunc autem Piſtum Athanaſii presbyteri ſupervenientes docuerunt Arianum eſſe... Videtis igitur vel ex hac cauſa, qui potius in culpa habendi ſunt; nos ne qui perſuaderi non potuimus, ut Ariano Piſto literas ſcriberemus: an illi qui mihi conſilium dedere, ut contempto Magno Concilio ad impios hæreticos veluti ad pios homines literas darem. De fuga demum Arianorum hæc addit: *Macarius preſbyter, qui Legatus ab Euſebio venerat, ubi audivit Athanaſij preſbyteros Piſto obſiſtere noſque ejus præſentiam non admittere: unà cum Martyrio & Heſychio quamvis gravi valetudine de nocte profectus eſt; ut non incongruè divinaremus eum impatientiâ refutati Piſti fugam arripuiſſe.* Fugientes illi tam turpiter reliquere in Julii manibus Acta Synodi Tyrienſis plena criminationum adverſus Athanaſium; quas ut vir innocen-

tiſſimus poſſet diluere, Actorum exemplar tranſmiſit illi per legatos hauddubiè Alexandrinos. *Atque adeo ipſi Euſebiani*, inquit Athanaſius, *ea Acta per ſuos Romam miſerunt, eademque illa ab Julio Epiſcopo ad me tranſmiſſa ſunt.* *Apolog. 2.*

§. II.

Cum Ariani poſtulaſſent à Julio convocationem concilij, ut pleniùs & liberiùs Athanaſii cauſa tractaretur eo conſeſſu, imò finxiſſent relinquere ſe totum illud negotium ejus judicio: præſentiret licet ſagacissimus pontifex verba tantùm eſſe & ſpecioſas nugas hæc Arianorum verba; ab iiſque peti Concilium non amore pacis ſed timore fulminis, ut ſcilicet declinarent ſententiam ab eo pronunciandam pro Athanaſio: nè tamen quererentur in eos actum tyrannicè, ſi ſolus pronuntiaret ſententiam, annuit Julius ſummâ benignitate poſtulatis illorum: indictoque ſtatim Romæ concilio continuò mittit in Orientem duos presbyteros

Elpidium & Philoxenum cum literis ad Arianos, quibus ſignificabat conceſſiſſe ſe iis ex indulgentia ſynodum quam poſtulaverant; habendam Romæ, evocatos ad eam Italiæ Epiſcopos, definitam ad talem diem, adeſſent omni excuſatione ſepoſitâ & incunctanter; ventilandam ibi seriò cauſam Athanaſij, adfuturum & illum, miſſoſque qui diem illi dicerent, ut ſe ſiſteret citra moram. Enituit eo maximè articulo; quis ſcopus eſſet Arianorum, nil noſſe illos, nil velle niſi dare verba dumtaxat: cum enim conſcij eſſent ſe non agere niſi dolis & calumniis tantùm ab iis impeti Athanaſium; cauſam hanc expenſum iri à Julio & Patribus non perfunctoriè ſed ad trutinam ſanctuarij; ideo neutiquam comparuere. Athanaſiusècontra moriger ſimul & innocens portatus ſuæ innocentiæ alis evolavit Romam continuò; ibique demoratus per ſeſquiannum expectavit pariter adventum Arianorum: ſed fruſtra. Quæ prodidimus hactenus, conſtant Julij Papæ literis ad Euſebianos, nec non & teſtimoniis Atha-

Digitized by Google

naſij, qui partim ſuis ad Solitarios literis, partim Apologiâ ſecundâ iſta commemorat: ultimo autem illo opere agens de Concilio; *Euſebiani*, ait, *ad Julium literas miſere, & ut nos terrerent, ſynodum juſſerunt convocari, & ipſi Julio ſi vellet, arbitrium cauſæ detulerunt*: Epiſtolâ verô ad ſolitarios, *Epiſcopus autem Romanus Julius*, inquit, *Synodum juſſit fieri, ubicumque vellemus; ut tutò & crimina obijcerent & invicem ſibi objecta refutarent: id enim eorum Legati, cum ſe vinci animadverterent, poſtularunt.* Meminit poſtmodum de legatis ad Euſebianos ſeu Arianos miſſis à Julio, cum ait: *Julius verò preſbyteros ſuos Elpidium & Philoxenum cum literis ad Euſebianos miſit certum diem definiens; ut aut præſentes ſe ſiſterent, aut cognoſcerent ſe omnibus modis ſuſpectos haberi.* Commorationem autem Athanaſij præſtolantis Romæ per ſeſquiannum Arianorum adventum teſtatur Julius ſuis ad eos literis: *Præter hæc omnia annum totum & integros ſex menſes Athanaſius apud nos hæſit veſtram præſentiam expectans*

aut quotquot comparere auderent ſuâque præſentiâ pudefecit omnes. Non enim judicio ſtitiſſet, niſi fiduciam habuiſſet; neque ſponte ſed literis noſtris ad judicium vocatus comparuiſſet, quemadmodum vos per literas citavimus.

§. III.

Cum ergo dies præſtitutus Concilio non illuxiſſet tantùm ſed effluxiſſet, nec ulla ſpes ſubluceret aut rumor percrebeſceret futuri Euſebianorum adventus; inexpectato diutius reditu legatorum, quos miſerat ad Arianos, celebravit tandem Concilium Julius cum quinquaginta Epiſcopis, qui ex Italia Romam convenerant. Libratâ ibi ſummâ maturitate causâ Athanaſij lectiſque plùſquàm ſemel quæ ex Actis Tyriis & Mareoticis Ariani coäcervaverant adverſus illum, cum Julius unà cum ſynodi Patribus intellexiſſet eſſe calumnias & furioſorum inimicorum mendacia, pronuntiavit Athanaſium innocentem recepitque ad communionem & Agapen. Teſtis ipſe Apologiâ 2. his verbis:

Preſbyter Vitus, delegatus haud dubiè à Julio ut evocaret Antiſtites, *plures Epiſcopos, quàm quinquaginta ad Concilium adduxit: ubi & noſtra defenſio recepta fuit, noſque digni habiti ſumus communione & Agape.* Diſcuſſa pariter fuit eo conſeſſu cauſa Marcelli Ancyrani & aliorum complurium Epiſcoporum ex Thracia, Cœleſyria, Phœnicia & Palæſtina; qui paſſi ab Arianis atrociſſimas contumelias & exaugurati ſe receperant, quò paſſim miſeri, Romam & ad innocentium vindicem Julium, qui turmam illam reorum innocentium ſuis ſedibus reſtitutam admiſit ad communionem. Hæc omnia ut explorata Euſebianis fierent, indignati tot fœditatibus Romani Concilij Præſules rogarunt Julium votis communibus, ut dignaretur ipſemet ſcriptis ad Orientales literis ſignificare, quæ geſta fuerant: *magnaque*, ait Athanaſius loco laudato, *indignatio exorta eſt contra Euſebianos; quibus Julium, cum ab eis literas accepiſſet, reſcribere juſſerunt.* Haud multò poſt optimus Pontifex ſcripſit Euſebianis excellentiſſimas li-

teras quibus recenſens omnia per compendium monet, à ſe quidem ſolo ſcriptam iis hanc epiſtolam complecti ſententiam omnium Epiſcoporum, qui Romam venerant ad Concilium.
Ath.in. Apol. 2. *Nam tametſi*, inquit, *ſolus ſim, qui ſcripſi; non meam tamen ſolius ſententiam ſed omnium Italorum & omnium in his regionibus Epiſcoporum ſcripſi. Certè ad conſtitutum tempus convenere Epiſcopi & ejus ſententiæ fuere, quam vobis iterum ſignifico.* In his plura Julius fortiter & ſuaviter, ut oportebat: damnationem inprimis Athanaſij conclamatam ab Arianis in Concilio Tyrio abrogandam & abrogatam eo maximè nomine; quod contra ordinem definitum à legibus abſente ſcilicet Athanaſio, ſive non evocato ad teſtium prolationem [quæ in Mareotide Ægypti regione facta fuerat] impacta ab iis fuiſſet. Non viſum ſatis iis qui Romam navigaverant pro Athanaſio, quod vindicaſſet ejus innocentiam Julius, inſtabant inſuper; ut damnaret illius accuſatores, eoque ſcopo poſtulabant ab eo, ut indiceret & congregaret in eos no-

vum Concilium : nec defuiſſet ſollicitudo Julij, niſi ſanctum ejus propoſitum interturbaſſent Ariani novis tumultibus. Hæc ſubobſcurè inſinuat Athanaſius ad calcem epiſtolæ ad Orthodoxos his verbis : *Certè fratres noſtri Romæ inſenſi prioribus eorum hominum*, id eſt Euſebianorum, *factis... pro ultione ſumenda Concilium indici celebrarique voluerunt : & rem perfeciſſent, niſi Euſebiani Eccleſiam perturbaſſent, noſque intercipere conati eſſent, ut liberè ſine reprehenſore in ſceleribus ſuis pergerent.*

§. IV.

Dum hæc gererentur tam ſanctè & ſecundùm canones à ſanctiſſimo Papa, diffidentes interim ſuæ cauſæ Euſebiani & metuentes nè eâ caderent, ſi evocati Romam Julij ſubirent judicium coram Epiſcopis ; authores fuere Conſtantio Imperatori ut celebraturus *Encænia*, ſeu conſecrationem Dominici Aurei colligeret Antiochiæ ſynodum; quò ſpecioſo illo prætextu Julio imponerent, & cauſarentur ſe ideò

Romam non navigaſſe, non quod non vellent, ſed quod non poſſent. Ubi enim comperere perfidi illi hæretici coactum iri ſynodum; in qua res gererentur ex præſcripto canonum, non furore armorum; in qua nulli ab Imperatore intereſſent ſatellites ad terrorem; non auſi illuc ſe recipere præ horrore detinuere violenter legatos Julij Elpidium & Philoxenum ſpargentes interea ſe ob bella Perſarum properare non poſſe. Hæc fideliter docet Athanaſius ſuâ Epiſtolâ ad Solitarios: *Euſebiani ubi ſemel audiſſent Eccleſiaſticum conſeſſum fore; ubi nec Comes affuturus eſſet, neque ſatellites pro foribus excubarent, nec ex Cæſaris præſcriptis omnia fierent, quibus rationibus & non aliis Epiſcopos vicerant, imo qui ſine hoc præſidio ne loqui quidem auderent: ita inhorruerunt ac metu contracti ſunt, ut preſbyteros detinerent ultra diem condictam cauſationem interim turpem fingentes ſe ob bella Perſarum venire non poſſe: ſed nihil in ea re veri; metus enim conſcientiæ eos impediebat. Quid enim negotij Epiſcopis cum bello? aut*

quid obſtaculi illis à Perſis oriebatur, quominùs Romam quamvis longinquam & transmarinam urbem proficiſcerentur? Congregati adhuc cum eſſent in unum Antiochiæ Euſebiani, cognovere certiſſimis nuntiis abſolutos à Julio & reſtitutos ſuis ſedibus Athanaſium, Marcellum Ancyranum & alios, qui abdicati vel oppreſſi ab iis ad ejus ſedem transfugerant. Inde exarſit Arianorum furor in Julium; raptaque inde occaſio ab iis, ut per redeuntes ejus legatos Elpidium & Philoxenum impudenter illi ſcriberent arrogantes & refertas querimoniis literas. Caput omnium & prima ordine ſuperbiſque hæreticis moleſtiſſima, quod tamquam vilibus perſonis Romæ diem illis dixiſſet Julius: addebant crudè actum cum iis, quod præfixiſſet tempus anguſtius quam par eſſet; Romanâque ſynodo retractaſſet, quæ jam in Tyria ipſi ex æquo & bono ſtatuerant in Athanaſium. Urebat maximè Arianos, quòd reſcribens Julius non ſcripſiſſet omnibus & ſingulis nominatim, ſed ſuis præfixiſſet literis ſimpliciter & faſtidiosè

iſtam epigraphen : *Euſebio cum ſuis* : de iis verò quæ perperam geſſerant in Conciliabulo & intruſione Gregorij in Eccleſiam Alexandrinam nè verbum quidem in his literis.

§. V.

Non efferbuit Julius ad has ineptias vel inſanias Arianorum, imò ratus agendum cum iis, ut cum freneticis, paternè illos monuit, miratum ſe vehementer ; quod provocati ſuaviter ejus dilectione reſcripſiſſent illi tam arroganter ; nec amorem retaliaſſent amore ; fluctuaſſe diu , an palam legeret eorum literas an ſuprimeret : ad illarum lectionem uſque adeo obſtupuiſſe omnes , ut cenſerent ſcriptas fuiſſe magis rixandi deſiderio , quam charitate. *Legi*, inquit , *epiſtolam veſtram, quam mihi preſbyteri mei Elpidius & Philoxenus attulerunt ; miratuſque ſum , cum à nobis ex vera dilectione & bonâ conſcientiâ ſcriptum eſſet, contentioſè à vobis , & non ut decuit, reſcriptum eſſe. Faſtus enim & arrogantia ſcribentium in epiſtola appa-*

Apolog. 2. apud Athan.

rebat. Atqui aliena ſunt iſta à fide in Chriſtum : decuit enim eum, qui cum dilectione ad vos ſcriberet, eamdem viciſſim dilectionem non autem contentionem referre. Nonnullis interpoſitis ſubdit : *Ego certè cum literas veſtras evolverem poſt varias vltrò citròque cogitationes eas ſupprimendas putavi eâ ſpe, quod crederem ſaltem aliquos ex veſtris adventuros necopus fore iſtiuſmodi epiſtolis ; nè ſi illæ in publicum promerentur, multos hîc dolore afficerent. Cæterùm ubi nullus veſtrum ſupervenerat ; neceſſum fuit, ut eas proferrem. Credite mihi, omnes admiratione pleni vix induci poterant, ut crederent iſtiuſmodi literas à vobis profectas eſſe, in quibus rixandi potius quam charitatis affectus eminebat. Quod ſi ambitione oſtentandæ eloquentiæ ita exceptæ ſunt à dictatore, id certè ſtudium ad alios ſpectat. In rebus enim Eccleſiaſticis non ſpecimen eloquentiæ ſed Apoſtolici canones requiruntur.*

§. VI.

Intruſus interim in Alexandriæ ſedem Gregorius graſſari ferro & flammâ in omnes utriuſque ſexus nullâ ſortis aut dignitatis habitâ ratione; idque compertum habuit Julius literis Ægyptiorum Antiſtitum, maximè autem narratione ſeu vivæ vocis oraculo ab iis; qui poſt viſa & devorata ea crudelitatis monſtra ſuæ ſaluti conſulturi magis quam capiti navigaverant Romam ad Julium. Exules ſpontaneos & beatiſſimos transfugas excepit ille non benignè tantum & peramanter viſceribus charitatis, ſed reverenter & fermè ut martyres: utque quâ viâ poterat, mederetur tot malis; ſcriptis literis paternè Arianos admonuit, ut à tam cruda carnificina deſiſterent; nefas eſſe ob inimicitias nonnullorum abdicare innocentes Epiſcopos; ſi quid admiſiſſent atrociùs, arguerent coram; nihil ambiri impenſiùs ab accuſatis, quam ut accuſatores eos revincerent; ad hoc paratos, ad-

hoc venturos, modo vellent & ipſi ad ſynodum convenire; ut qui nocentes erant, damnarentur coram omnibus & ab omnibus. Poſt multa & alia id genus hæc Apoſtolicè & ſapienter ſubdit de abdicatione Athanaſij & Marcelli. *Si omnino in culpa fuerunt, oportuit ſecundum canonem & non iſto modo judicium fieri; oportuit ſcribere omnibus nobis, ut ita ab omnibus, quod juſtum eſſet, decerneretur: Epiſcopi enim erant & non vulgaris Eccleſiæ, qui iſta patiebantur, ſed quam ipſi Apoſtoli ſuâmet operâ ad fidem inſtruxerant. Cur igitur & inprimis de Alexandrina civitate nihil nobis ſcribere voluiſtis? An ignari eſtis hanc conſuetudinem eſſe, ut primùm nobis ſcribatur; ut HINC, QUOD JUSTUM ESSET, DEFINIRI POSSET? Quapropter ſi iſthic hujuſmodi ſuſpicio in Epiſcopum concepta fuerat, ID HUC AD NOSTRAM ECCLESIAM referre oportuit. Nunc autem nos, quos certiores minimè fecerunt,*

poſtquam jam egerint quod libuit; ſuffragatores ſuæ damnationis, cui non interfuimus, eſſe volunt. Per illos dies Carponas quidam Arianus à ſuffecto in Athanaſij vicem Gregorio venit Legatus ad Julium; qui non dignatus illum alloquio vel adſpectu inviſum & inauditum renavigere juſſit citra cunctationem: humaniſſimus ècontra erga profugos Alexandrinos, & fugitivos Antiſtites, præſertim erga ſtuporem mundi divinum Athanaſium; qui ſubducens ſe carnificinæ Gregorij illuc ſe receperat, quò ex more flagellata pietas & Orthodoxi, & quò ipſe jam antea. Teſtis ipſemet iſtis verbis Apologia ad Conſtantium Imper. *Profectus ſum Alexandriâ non ad caſtra fratris tui aut alium quempiam, ſed Romam duntaxat me meaque Eccleſiæ commendaturus. Ea enim mihi unica cura fuit, quo tempore multus eram in Synaxibus celebrandis.* Eodem tempore & eâdem de causâ Romam migraverant alij ſoles Orientalis Eccleſiæ Antiſtites ſanctiſſimi ſimul & generoſiſſimi

Paulus Conſtantinopolis, Marcellus Ancyræ, Aſclepas Gazæ & Lucius Hadrianopolis: qui abſoluti & admiſſi ad communionem à Julio ſuis ab eo reſtituti ſunt ſedibus; quibus divina providentia eos affixerat, & à quibus avulſi indigniſſimè fuerant Arianorum calumniis.

§. VII.

Cum morarentur Romæ ſuiſque eam conſecrarent virtutibus ſanctiſſimi illi Præſules, eorum ſol maximè Athanaſius; ſentiens Julius ſe ſuis literis nihil apud Arianos procedere in gratiam clariſſimi exulis, & ad hoc opus eſſe Synodo Generali nec convocari eam poſſe, niſi concordes Auguſti Conſtans & Conſtantius communibus votis ex Oriente & Occidente eam colligerent, miſſis Epiſcopis interpellavit Conſtantem; ut fratrem Conſtantium ſuis invitaret literis ad convocationem Concilii; in quod toties fruſtra Romam vocati ſe Ariani tandem reciperent. Deſignata conſeſſui à Principibus fuit urbs Illyrici pertinens ad Orientis Imperium Sar-

dica ſita in Occidentali Imperio & in confinio Thraciæ. Confluxere illuc continuò filij lucis & filij tenebrarum Ariani cum Orthodoxis : adfuit & An. 347 caput omnium Julius in Archidamo & Philoxeno presbyteris, qui cum Julij nomine obtuliſſent Patribus excuſatorias literas , unà cum Oſio præfuere ex uſu , ut ſolebant Romanæ ſedis Vicarij. In illo cœtu diſcuſſa fuit accuratiſſimè & coronata poſtmodum Athanaſii & aliorum Præſulum innocentia , ſuiſque fuere reſtituti ſedibus ; idque Patres ſynodi ſuis literis ei ſignificarunt. In earum limine ſic habent : *Tu itaque , dilectiſſime Frater , corpore ſeparatus , mente concordi ac voluntate adfuiſti : & honeſta fuit & neceſſaria excuſatio abſentiæ ; nè aut lupi ſchiſmatici furtum facerent & raperent per inſidias, aut canes hæretici rabido furore exciti inſani oblatrarent aut certè ſerpens diabolus blaſphemiarum venenum effunderet. Hoc enim optimum & valdè congruentiſſimum eſſe videbitur ; ſi ad CAPUT, id eſt ad PETRI Apoſtoli SEDEM , de ſingulis*

quibuſcumque provinciis Domini referant Sacerdotes. Rogant ad calcem Julium trãſmittere ad finitimas regiones, quæ geſta in ſynodo fuerant; monent quos reſtinendos in ſua cõmunione cenſuiſſent, quos ejeciſſent, eorumque ſubjunxere catalogum, nec non & preces; quibus ejus beatitudinem obſecrabant eorum omnium certiores facere Coëpiſcopos; nè allatas ab ejectis epiſtolas Communicatorias accipiant. *Tua autem excellens prudentia,* inquiunt, *diſponere debet; ut per tua ſcripta qui in Sicilia, qui in Italia ſunt fratres noſtri, quæ acta ſunt & quæ definita cognoſcant & nè ignorantes eorum accipiant literas Communicatorias, id eſt epiſtolia, quos juſta ſententia redarguit. Perſeverent autem Marcellus, Athanaſius & Aſclepius noſtrâ communione..... Eorum autem nomina, qui pro facinoribus dejecti ſunt, ſubjicere curavimus; ut ſciret eximia Gravitas tua, qui eſſent communione privati. Omnes fratres & Coëpiſcopos literis tuis admonere digneris: nè epiſtolia, id eſt literas Communicatorias eorum accipiant.*

Digitized by Google

§. VIII.

Hæc reverenter Sardicenſis Occidentalium ſynodus ad Papam Julium, ut decebat; Occidentalium inquam non Orientalium. Illi enim ingreſſi Sardicam obſequentes mandatis Imperatorum abſceſſerunt inde continuò; flagellàti ſcilicet conſcientiâ ſcelerum & veriti nè Athanaſio & reliquis innocentibus impactæ ab iis calumniæ magno ſuo probro innoteſcerent in conventu tam ſacro, prætextu futili dividentes ſe turpi divortio ab orthodoxis, priuſquam cum illis convenirent in unum; proripuere ſe noctu, velut lemures & filij tenebrarum, in civitatem Thraciæ Philippopolim. Collecti illic ſeorſim deſertique Spiritu Domini, qui non *congregat conventicula eorum de ſanguinibus*, pleni diabolo & omni malitia fecerunt in Chriſtum Domini Julium, quod nondum Sathan nec ejus primogeniti patriarchæ hæreticorum tentaverant in ullum illius deceſſorem. Non contenti enim abdicare promiſcue & abſtinere Athanaſium, Aſclepam & cæteros priva-

tarum ſedium præſules; intentato & execrando facinore primæ ſedis & quæ à nemine judicatur, Antiſtitem abdicarunt & abſtinuerunt impij & limphatici Philippopolitani. O proterviam! Inſolentiſſimæ hujus proterviæ non modo teſtis eſt Sozomenus his verbis: *Julium Romanæ urbis Epiſcopum depoſuerunt, eò quòd primus communicaſſet cum illis*, Athanaſio ſcilicet, Paulo, Marcello, Aſclepâ & aliis, καθεῖλον ἰȣλιον τ̃ ῥώμης ἐπίσκοπον: Sed & ipſamet Pſeudoſynodus Sardicenſis in prolixiſſimâ illâ epiſtola ſeu Decreto, quod miſit ad Africam, teſtatur hanc illorum impudentiſſimam impudentiam. Præfati multa in ſpeciali adversùs ſanctiſſimos Epiſcopos, qui eorum inſaniæ obluctabantur, Athanaſium, Paulum, Marcellùm & reliquos, mandant imperiosè Epiſcopis, ad quos ſcribunt; nè quam ineant cum Julio communionis teſſeram neque ullas ab eo accipiant literas neque mittant. *Poſt multa igitur, dilectiſſimi fratres, hæc vobis ex aperto mandamus; ne quis veſtrûm ab*

L. 3. c. xi. verſion. Valeſij.

aliquo circumventus aliquando communicet, id eſt Oſio, Protogeni, Athanaſio, Marcello, Aſclepæ, Paulo, JULIO: ſed nè cuiquam damnatorum de Eccleſia ſancta rejectis neque ſociis ipſorum, qui illis ſive per ſe ſive per ſcripta communicant. Quare nec vos ad illos ſcribere umquam debetis nec ab ipſis ſcripta ſuſcipere. Progreſſi ab his ad longè atrociora rapti ejuſdem temeritatis monſtro in eumdem Pontificem fulmen idem contorquent nullâ illius dignitatis habitâ ratione. *Nos verò nulli injuriam facimus ſed legis præcepta ſervamus. . . . . ſed ante oculos habentes timorem Dei, judicium Chriſti, verum & juſtum conſiderantes nullius perſonam accepimus, neque aliqui pepercimus, quominùs Eccleſiaſticam diſciplinam ſervaremus. Unde JULIUM urbis Romæ, Oſium, Protogenem..... damnavit omne Concilium ſecundùm antiquiſſimā legem... JULIUM urbis Romæ ut principem & ducem malorum, qui primus januam communionis ſceleratis atque damnatis apperuit, cæteriſque aditum fecit ad ſolvenda jura divina, defende-*

Digitized by Google

batque Athanaſium præſumenter atque audaciter hominem, cujus nec teſtes noverat nec accuſatores. Subjungunt demum ad calcem: *Propter has igitur cauſas juſtum duxit Concilium, ut JULIUM urbis Romæ & & Oſium cæteroſque ſupra memoratos diſcingeret atque damnaret. Quæ cum ita ſint, cuſtodire vos ab ipſis & abſtinere debetis, dilectiſſimi fratres; nec eos aliquando ad communionem admittere, ſed nec ipſorum literas accipere nec ad illos literas dominicas dare.*

§. IX.

Quantumvis fremerent hi fanatici in Julium & reſtitutos epiſcopos ſuis ſedibus per Sardicenſe Concilium, indulgente Conſtantio Imperatore humaniſſimis literis & adnitente fratre ejus Conſtante conceſſus vel imperatus fuit Athanaſio reditus Alexandriam. Priùs tamen Romam adiit ſalutaturus Julium acturuſque illi gratias, à quo cumulatus fuerat officiis charitatis. Teſtis ipſe Apologiâ 2.

Digitized by Google

§. VI.

Intruſus interim in Alexandriæ ſedem Gregorius graſſari ferro & flammâ in̄ omnes utriuſque ſexus nullâ ſortis aut dignitatis habitâ ratione; idque compertum habuit Julius literis Ægyptiorum Antiſtitum, maximè autem narratione ſeu vivæ vocis oraculo ab iis; qui poſt viſa & devorata ea crudelitatis monſtra ſuæ ſaluti conſulturi magis quam capiti navigaverant Romam ad Julium. Exules ſpontaneos & beatiſſimos transfugas excepit ille non benignè tantum & peramanter viſceribus charitatis, ſed reverenter & fermè ut martyres: utque quâ viâ poterat*, mederetur tot malis; ſcriptis literis paternè Arianos admonuit, ut à tam cruda carnificina deſiſterent; nefas eſſe ob inimicitias nonnullorum abdicare innocentes Epiſcopos; ſi quid admiſiſſent atrociùs, arguerent coram; nihil ambiri impenſiùs ab accuſatis, quam ut accuſatores eos revincerent; ad hoc paratos, ad-

hoc venturos, modo vellent & ipſi ad ſynodum convenire; ut qui nocentes erant, damnarentur coram omnibus & ab omnibus. Poſt multa & alia id genus hæc Apoſtolicè & ſapienter ſubdit de abdicatione Athanaſij & Marcelli. *Si omnino in culpa fuerunt, oportuit ſecundum canonem & non iſto modo judicium fieri; oportuit ſcribere omnibus nobis, ut ita ab omnibus, quod juſtum eſſet, decerneretur: Epiſcopi enim erant & non vulgaris Eccleſiæ, qui iſta patiebantur, ſed quam ipſi Apoſtoli ſuâmet operâ ad fidem inſtruxerant. Cur igitur & inprimis de Alexandrina civitate nihil nobis ſcribere voluiſtis? An ignari eſtis hanc conſuetudinem eſſe, ut primùm nobis ſcribatur; ut HINC, QUOD JUSTUM ESSET, DEFINIRI POSSET? Quapropter ſi iſthic hujuſmodi ſuſpicio in Epiſcopum concepta fuerat, ID HUC AD NOSTRAM ECCLESIAM referre oportuit. Nunc autem nos, quos certiores minimè fecerunt,*

Digitized by Google

poſtquam jam egerint quod libuit; ſuffragatores ſuæ damnationis, cui non interfuimus, eſſe volunt. Per illos dies Carponas quidam Arianus à ſuffecto in Athanaſij vicem Gregorio venit Legatus ad Julium; qui non dignatus illum alloquio vel adſpectu inviſum & inauditum renavigere juſſit citra cunctationem: humaniſſimus ècontra erga profugos Alexandrinos, & fugitivos Antiſtites, præſertim erga ſtuporem mundi divinum Athanaſium; qui ſubducens ſe carnificinæ Gregorij illuc ſe receperat, quò ex more flagellata pietas & Orthodoxi, & quò ipſe jam antea. Teſtis ipſemet iſtis verbis Apologia ad Conſtantium Imper. *Profectus ſum Alexandriâ non ad caſtra fratris tui aut alium quempiam, ſed Romam duntaxat me meaque Eccleſiæ commendaturus. Ea enim mihi unica cura fuit, quo tempore multus eram in Synaxibus celebrandis.* Eodem tempore & eâdem de causâ Romam migraverant alij ſoles Orientalis Eccleſiæ Antiſtites ſanctiſſimi ſimul & generoſiſſimi

Paulus Conſtantinopolis, Marcellus Ancyræ, Aſclepas Gazæ & Lucius Hadrianopolis: qui abſoluti & admiſſi ad communionem à Julio ſuis ab eo reſtituti ſunt ſedibus; quibus divina providentia eos affixerat, & à quibus avulſi indigniſſimè fuerant Arianorum calumniis.

§. VII.

Cum morarentur Romæ ſuiſque eam conſecrarent virtutibus ſanctiſſimi illi Præſules, eorum ſol maximè Athanaſius; ſentiens Julius ſe ſuis literis nihil apud Arianos procedere in gratiam clariſſimi exulis, & ad hoc opus eſſe Synodo Generali nec convocari eam poſſe, niſi concordes Auguſti Conſtans & Conſtantius communibus votis ex Oriente & Occidente eam colligerent, miſſis Epiſcopis interpellavit Conſtantem; ut fratrem Conſtantium ſuis invitaret literis ad convocationem Concilii; in quod toties fruſtra Romam vocati ſe Ariani tandem reciperent. Deſignata conſeſſui à Principibus fuit urbs Illyrici pertinens ad Orientis Imperium Sar-

dica ſita in Occidentali Imperio & in confinio Thraciæ. Confluxere illuc continuò filij lucis & filij tenebrarum Ariani cum Orthodoxis: adfuit & caput omnium Julius in Archidamo & Philoxeno presbyteris, qui cum Julij nomine obtuliſſent Patribus excuſatorias literas, unà cum Oſio præfuere ex uſu, ut ſolebant Romanæ ſedis Vicarij. In illo cœtu diſcuſſa fuit accuratiſſimè & coronata poſtmodum Athanaſii & aliorum Præſulum innocentia, ſuiſque fuere reſtituti ſedibus; idque Patres ſynodi ſuis literis ei ſignificarunt. In earum limine ſic habent: *Tu itaque, dilectiſſime Frater, corpore ſeparatus, mente concordi ac voluntate adfuiſti: & honeſta fuit & neceſſaria excuſatio abſentiæ; nè aut lupi ſchiſmatici furtum facerent & raperent per inſidias, aut canes hæretici rabido furore exciti inſani oblatrarent aut certè ſerpens diabolus blaſphemiarum venenum effunderet. Hoc enim optimum & valdè congruentiſſimum eſſe videbitur; ſi ad CAPUT, id eſt ad PETRI Apoſtoli SEDEM, de ſingulis*

An. 347

quibuſcumque provinciis Domini referant Sacerdotes. Rogant ad calcem Julium trāſmittere ad finitimas regiones, quæ geſta in ſynodo fuerant; monent quos reſtinendos in ſua cōmunione cenſuiſſent, quos ejeciſſent, eorumque ſubjunxere catalogum, nec non & preces; quibus ejus beatitudinem obſecrabant eorum omnium certiores facere Coëpiſcopos, nè allatas ab ejectis epiſtolas Communicatorias accipiant. *Tua autem excellens prudentia*, inquiunt, *diſponere debet; ut per tua ſcripta qui in Sicilia, qui in Italia ſunt fratres noſtri, quæ acta ſunt & quæ definita cognoſcant & nè ignorantes eorum accipiant literas Communicatorias, id eſt epiſtolia, quos juſta ſententia redarguit. Perſeverent autem Marcellus, Athanaſius & Aſclepius noſtrâ communione..... Eorum autem nomina, qui pro facinoribus dejecti ſunt, ſubjicere curavimus; ut ſciret eximia Gravitas tua, qui eſſent communione privati. Omnes fratres & Coëpiſcopos literis tuis admonere digneris: nè epiſtolia, id eſt literas Communicatorias eorum accipiant.*

§. VIII.

Hæc reverenter Sardicenſis Occidentalium ſynodus ad Papam Julium, ut decebat; Occidentalium inquam non Orientalium. Illi enim ingreſſi Sardicam obſequentes mandatis Imperatorum abſceſſerunt inde continuò; flagellàti ſcilicet conſcientiâ ſcelerum & veriti nè Athanaſio & reliquis innocentibus impactæ ab iis calumniæ magno ſuo probro innoteſcerent in conventu tam ſacro, prætextu futili dividentes ſe turpi divortio ab orthodoxis, priuſquam cum illis convenirent in unum; proripuere ſe noctu, velut lemures & filij tenebrarum, in civitatem Thraciæ Philippopolim. Collecti illic ſeorſim deſertique Spiritu Domini, qui non *congregat conventicula eorum de ſanguinibus*, pleni diabolo & omni malitia fecerunt in Chriſtum Domini Julium, quod nondum Sathan nec ejus primogeniti patriarchæ hæreticorum tentaverant in ullum illius deceſſorem. Non contenti enim abdicare ferociter & abſtinere Athanaſium, Aſclepam & cæteros priva-

tarum ſedium præſules; intentato & execrando facinore primæ ſedis & quæ à nemine judicatur, Antiſtitem abdicarunt & abſtinuerunt impij & limphatici Philippopolitani. O protervìam! Inſolentiſſimæ hujus protervìæ non modo teſtis eſt Sozomenus his verbis: *Julium Romanæ urbis Epiſcopum depoſuerunt, eò quòd primus communicaſſet cum illis*, Athanaſio ſcilicet, Paulo, Marcello, Aſclepâ & aliis, καθεῖλον ἰȣλιον τ̃ ῥώμης ἐπίσκοπον: Sed & ipſamet Pſeudoſynodus Sardicenſis in prolixiſſimâ illâ epiſtola ſeu Decreto, quod miſit ad Africam, teſtatur hanc illorum impudentiſſimam impudentiam. Præfati multa in ſpeciali adversùs ſanctiſſimos Epiſcopos, qui eorum inſaniæ obluctabantur, Athanaſium, Paulum, Marcellùm & reliquos, mandant imperiosè Epiſcopis, ad quos ſcribunt; nè quam ineant cùm Julio communionis teſſeram neque ullas ab eo accipiant literas neque mittant. *Poſt multa igitur, dilectiſſimi fratres, hæc vobis ex aperto mandamus; ne quis veſtrûm ab*

L. 3. c. xi. verſion. Valeſij.

aliquo circumventus aliquando communicet, id eſt Oſio, Protogeni, Athanaſio, Marcello, Aſclepæ, Paulo, JULIO: ſed nè cuiquam damnatorum de Eccleſia ſancta rejectis neque ſociis ipſorum, qui illis ſive per ſe ſive per ſcripta communicant. Quare nec vos ad illos ſcribere umquam debetis nec ab ipſis ſcripta ſuſcipere. Progreſſi ab his ad longè atrociora rapti ejuſdem temeritatis monſtro in eumdem Pontificem fulmen idem contorquent nullâ illius dignitatis habitâ ratione. *Nos verò nulli injuriam facimus ſed legis præcepta ſervamus. . . . . ſed ante oculos habentes timorem Dei, judicium Chriſti, verum & juſtum conſiderantes nullius perſonam accepimus, neque aliqui pepercimus, quominùs Eccleſiaſticam diſciplinam ſervaremus. Unde JULIUM urbis Romæ, Oſium, Protogenem..... damnavit omne Concilium ſecundùm antiquiſſimã legem... JULIUM urbis Romæ ut principem & ducem malorum, qui primus januam communionis ſceleratis atque damnatis apperuit, cæteriſque aditum fecit ad ſolvenda jura divina, defende-*

Digitized by Google

batque Athanaſium præſumenter atque audaciter hominem, cujus nec teſtes noverat nec accuſatores. Subjungunt demum ad calcem: *Propter has igitur cauſas juſtum duxit Concilium, ut JULIUM urbis Romæ & & Oſium cæteroſque ſupra memoratos diſcingeret atque damnaret. Quæ cum ita ſint, cuſtodire vos ab ipſis & abſtinere debetis, dilectiſſimi fratres; nec eos aliquando ad communionem admittere, ſed nec ipſorum literas accipere nec ad illos literas dominicas dare.*

§. IX.

Quantumvis fremerent hi fanatici in Julium & reſtitutos epiſcopos ſuis ſedibus per Sardicenſe Concilium, indulgente Conſtantio Imperatore humaniſſimis literis & adnitente fratre ejus Conſtante conceſſus vel imperatus fuit Athanaſio reditus Alexandriam. Priùs tamen Romam adiit ſalutaturus Julium acturuſque illi gratias, à quo cumulatus fuerat officiis charitatis. Teſtis ipſe Apologiâ 2.

Digitized by Google

Romam aſcendi Eccleſiam & Epiſcopum aditurus. Remeantem proſequutus optimus Pontifex ſalutationibus ſuaviſſimis apprecatuſque illi mille & millia peramanter Alexandrinis ſcripſit gratulatorias ob reditum Athanaſij. Teſtis iterum ille libro laudato: *Ingens igitur gaudium in Eccleſia; Pontifexque Julius ut gratularetur noſtræ reſtitutioni, literas ad Eccleſiam miſit Alexandrinam.* Ubi enim præmiſit iſta in apice literarum, *Julius presbyteris, diaconis & populo in parœcia Alexandriæ*, impatientiâ gaudij hæc ſubjungit continuò ex abrupto: *Gratulor vobis, dilectiſſimi fratres, quod fructum fidei veſtræ ante oculos videatis; id enim ita eſſe liquidiſſimè apparet in fratre & Coëpiſcopo noſtro Athanaſio, quem Deus & ob vitæ ſanctitatem & orationes veſtras vobis reſtituit.... Gratulor igitur vobis; rurſum enim dicam gratulor, quod animas veſtras in tuenda fide inexpugnabiles conſervaſtis. Sed interim fratri meo Athanaſio gratulor non minùs, quod quamquam multa acerba pateretur, nullâ tamen horâ*

veſtræ

veſtræ charitatis veſtrique deſiderii oblivionem induxerit: nam tametſi corpore ad tempus videretur à vobis ſeparari, ſpiritu tamen perpetuò vobiſcum agebat. Redit igitur ad vos ſplendidior nunc, quam cum à vobis diſcederet. Quod ſi res pretioſas aurum & argentum ad puritatem ignis explorat; quid quæſò dignum eloquar tanto viro, qui ex tantis malorum periculis purus innocenſque vobis reſtituitur, taliſque non noſtro dumtaxat judicio ſed ab univerſa ſynodo judicatus eſt? Excipite igitur, dilecti fratres, cum omni ſecundùm Deum gloria & lætitia Epiſcopum veſtrum Athanaſium.... Mihi certè voluptati eſt contemplanti & jam animo perſpicienti uniuſcujuſque in ejus reditu lætitiam & multitudinis religioſiſſimæ occurſus & celebrem convenientium feſtivitatem. Quis putas aut qualis erit vobis ille dies, cum & frater noſter revertetur & mala ſuperiora finem accipient? cumque pretioſus & optabilis illius reditus omnes alacritate pleniſſimi gaudii in unum cooptabit? Tale gaudium ma-

xima ex parte etiam ad nos uſque pertingit, quibus divinitus tanti viri notitia conceſſa eſt.

§. X.

Magna fuerit ſanctiſſimi Papæ Julij lætitia ex triumphanti illo Athanaſii reditu in ſuam patriam ſimul & ſedem; longè major extitit ex converſione duorum inſignium peccato-
Luc. 15. 7. rum: ſcriptum enim legerat; *gaudium erit in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quam ſuper nonaginta juſtis, qui non indigent pœnitentiâ.* Nec peccatores tantum erant hi duo, ſed peccatorum duces & Arianorum ſigniferi Urſacius & Valens. Percuſſi ambo ſummo dolore cordis, ſaltem in ſpeciem, Mediolani primùm ſtitere ſe coram orthodoxis præſulibus, qui ſedebant ad ſynodum: ibique cum ſupplices veniam peterent & pœnitentiam, oblato etiam libello, miſſi Romam ad Julium, ut mos erat circa inſigniores hæreticos, ſpectante & plaudente Româ provoluti coram beatiſſimo

Digitized by Google

Pontifice ejurarunt vivâ voce & ſcriptâ hæreſim Arianam profeſſi meras eſſe calumnias, quidquid ſparſerant in Athanaſium. *Urſacius & Valens*, ut epiſtolâ ad ſolitarios prodit Athanaſius, *quaſi à ſua ipſorum conſcientia flagellati pœnitentiam profeſſi ſunt; literaſque amicas & pacatas ad Epiſcopum*, id eſt Julium, *quas nullas ab eo acceperant, miſere: Romamque abeuntes pœnitentiam egere confitentes omnia, quæ vel dixiſſent vel feciſſent contra Athanaſium, falſa eſſe & nihil aliud quam calumniam: neque id ſimpliciter egere, ſed ita ut anathemate execrarentur Arianam hæreſim & pœnitentiam ſuam ſcripto promulgarent.* Oblatus autem ab utroque libellus pœnitentiæ ſic ſe habebat: *Quandoquidem ſatis conſtat & nos ſuperioribus temporibus multa gravia de Athanaſio per epiſtolas criminatos eſſe & tuæ humanitatis literis admonitos ut crimina probaremus, nunquam earum rerum documenta afferre potuiſſe: ideo confitemur tuæ humanitati coram univerſis noſtris fratribus preſbyteris omnia, quæ*

ante hac ad veſtras aures de Athanaſio perlata fuere , falſa & ficta eſſe & omnibus modis ab eo aliena: ac proinde recipimus ejus communionem , maximè quia tua erga Deum pietas veniam ſecundùm genuinam ſuam bonitatem noſtro errori impertiri dignata eſt..... Hæreticum porrò Arium ejuſque propugnatores ... quemadmodum in priore noſtro libello Mediolani edidimus & nunc & ſemper anathemate damnamus : noſtrâque manu denuò proteſtamur nos Arianam hæreſin ejuſque auctores in æternum damnare.

§. XI.

Dum hæc piè & ſtrenuè vir ſanctiſſimus cominus eminus adverſus Arianos gereret extra Urbem & intra; intra Urbem & in ejus pomæriis conſulebat viventibus & mortuis. Ad ſynaxes viventium duas excitavit baſilicas, alteram in Urbe juxta Forum, aliam in ſuburbio viâ Flaminiâ : illuſtravit ambas pretioſis & pulcherrimis imaginibus. Cum verò complures ſancti obdormirent in Chriſto, tria in eorum gratiam erexit dormi-

Digitized by Google

toria, cum cœmeteria; unum viâ Flaminiâ, alterum Aureliâ, tertium Portuenſi. Si fides libro Pontificali & poſt illum Platinæ; poſt hauſtos amaritudinum calices & devoratas mille anguſtias exulavit Julius per decem menſes, ignoratur quo loco; ſed hoc fabulam ſapit. Cum per annos quindecim, menſes quinque, dies decem & ſeptem pugnaſſet jugiter & intrepidè in Arianos flagellantes divinitatem Chriſti, à bello demum ad pacem, à pugnâ ad coronam, ab exilio hujus vitæ tranſivit ad patriam, & tranſivit intactus. *Chriſti 352. April. 12.*

SANCTUS LIBERIUS Papa XXXVII.

Chriſti 352. Conſtantii Imp. 16.

AT non Liberius ejus ſucceſſor creatus Pontifex ex diacono Cardinali: patria ejus Roma, pater Auguſtus, non tamen Imperator. Per virtutum gradus magis quàm ordi-

num graſſatus ad dignitatum maximam non ambiit iſtud faſtigium, ſed ut ſolent animæ humiles, admiſit illud & admiſit invitus. Teſtis ipſe ſuâ epiſtolâ ad Imperatorem Conſtantium his verbis: *Ad iſtud officium* [*teſtis eſt mihi Deus meus*] *invitus acceſſi.* Et ô utinam ſic omnes. Ubi Orienti innotuit ejus electio, volavere ſtatim ad illum legationes tranſmarinæ cum literis: venere omnium primæ Arianorum, quibus proſcindentes atrociter Athanaſium poſtulabant communionem Liberii: venere ad illum eodem fermè tempore & aliæ à ſynodo Ægyptiacâ ſeptuaginta quinque Epiſcoporum pro Athanaſio. Lectis utriſque in Concilio conuocato Romæ tunc temporis probata fuit à Patribus innocentia Athanaſii, negata verò Arianis fuit communio Eccleſiaſtica, quam flagitabant. Suſpicatus Liberius & Patres, qui unà cum illo intererant huic conventui, hac repulsâ alienatum iri haud dubiò Conſtantium, quo volente vel conſcio omnia gerebantur; & fore ut hoc prætextu anſam arriperet ferociendi in

vindices Conſubſtantialitatis & Romanam Eccleſiam: miſſâ incunctanter ad illum celebri legatione Arelaten in Gallia petiere ab eo Liberii nomine convocari Concilium Aquileiæ: ut de impacto in Athanaſium crimine majeſtatis & veræ fidei reſtitutione tractari in eo poſſet. Legationis caput Vincentius Capuanus, qui Silveſtri Legatus Nicææ jam præfuerat ſynodo generali: mutatus ibi à ſe fractuſque majeſtate interminantis Conſtantii & dolis Arianorum promittentium à ſe damnatum iri Arii hæreſim, ſi prius ipſe Athanaſium condemnaret., quem paulò antea in Sardicenſi Concilio abſolverat Athanaſium, damnavit indigniſſimè; damnavit & Marcellus ejus ſocius Epiſcopus ex eâdem Campaniâ. Caſum tam lugubrem notum Liberius habuit ex literis legatorum; nec explicari poteſt, quam incredibilis mœror invaſerit ejus animam: Teſtes ejus literæ ad Oſium Cordubenſem in hunc modum: *Vincentium Capuenſem . . . legationem noſtram ſuſcepiſſe ſanctitati tuæ inſinuo: de quo cum multa*

ſperarem, quod & cauſam optimè retineret & Judex in eadem cauſa cum ſanctitate tua frequenter reſediſſet, credideram Dei Evangelium ſuâ legatione poſſe ſervari. Non tantùm nihil impetravit, ſed & ipſe in illam ductus eſt ſimulationem: poſt cujus factum duplici mœrore confectus moriendum magis pro Deo decrevi, nè videar noviſſimus delator exiſtere.

§. I.

Poſt illud inauſpicatæ legationis naufragium deſtinavit ſapientiſſimus Pontifex aliam longè inſigniorem meritis & ſanctitate eorum, qui eâ perfuncti. Ad ſubeundam iſtam provinciam delecti duo de gremio cleri Romani Hilarius diaconus & Pancratius presbyter: cumque ordinante cœlo Romam intraſſet per eos dies præſul infracti animi & zelo fidei æſtuans Lucifer Calaritanus in Sardinia; creavit illum Liberius principem legationis difficillimæ; deditque illi ſocium Epiſcopum ejuſdem celebritatis Euſebium Vercellenſem; eoque

nomine illi ſcripſit ſuaviſſimas literas, quibus rogabat illum impensè; ut unà cum iis tribus legationem ſuſciperet in hoc diſcrimine. Proficiſcenti Lucifero dedit Liberius literas ad Imperatorem Conſtantium, quarum initio captatâ ingeniosè ejus benevolentiâ diluit poſtmodum calumniam impactam ſibi mendacio Arianorum; rogavitque demum ejus Serenitatem, ut dignaretur convocare Concilium in his anguſtiis. Indulſit Imperator tam ſplendidis oratoribus, quod flagitabant, collectoque incunctanter conventu *confluxere Mediolanum plures quam trecenti Antiſtites ex Occidente. Præfuere Liberii loco tres illius legati; & hi cum viriliter & intrepidè reſtitiſſent Arianorum conatibus detrectantes Athanaſianæ damnationi ſubſcribere, variis ſunt affecti ſuppliciis: Lucifero irrogata deportatio in Palæſtinam, inflicta quoque Pancratio; nec ſcitur locus; Hilarium ſimiliter fecere extorrem, ſed non niſi flagellatum egregiè inſultantibus illi inter atrociſſima verbera & dictitantibus in illa flagello-

* *Ann.* 355.

Q v

bere Ariani, ſi haberent omnes præter Liberium; adhæſurum è contra eis continuò totum orbem, ſi ille, qui caput orbis & Hierarcha per Antonomaſiam; fecere ſuis conſiliis apud Conſtantium, ut totâ ſuæ autoritatis mole incumberet ad ſuperandam conſtantiam ſancti Papæ. Admotæ ab eo hoc conſilio omnes machinæ, preces, promiſſiones, munera, & quod eſt indigniſſimum, minæ atrociſſimæ, tandem exilium. Cogitabant enim impii hæretici & ſpargebant: *ſi Liberium in noſtram ſententiam traxerimus, omnes brevi ſuperabimus*; unus ille per compendium omnes, vel pro omnibus; ſperabant ſcilicet fore magnetem omnium ſuo exemplo. Nec mora: expeditur actutum à Conſtantio præfectus ejus cubiculo Euſebius Eunuchus cum literis & muneribus ad Liberium; donis, ut alliceret; literis, ut terreret. Ubi ingreſſus Romam hic ſpado, ſtatim rectâ ſe proripiens ad Pontificem hortari illum acriter; ut expuncto Athanaſii nomine communionem iniret cum Arianis; id non modo Conſtantium

Athanaſ. ad Solitar.

velle ſed imperare; utque ait Athanaſius, *id enim Imperatorem velle & pro imperio jubere.* Oſtenſis deinde muneribus apprehensâ manu Pontificis *macte*, inquit, *Liberi; Imperatori pio obtempera & hæc accipe.* Ad iſta corrugans frontem Liberius intrepidè ait, *nefas eſſe damnare hominem nec auditum nec viſum; non eſſe reum, quem una & altera ſynodus dudum abſolverat & pronuntiaverat innocentem, quemque deceſſor ejus Julius dimiſerat cum Pacificis: hunc nec damnare poſſumus nec debemus. Averſemur abſentem, quem præſentem dileximus? Abſit. Quod Imperator ſtudeat reſtituere pacem Eccleſiis, laudamus Principis pietatem: id continget ex votis, ſi cogatur libera ſynodus extra palatium; ubi nec Imperator, nec Comes, nec Magiſtratus ullus interſit: ſufficit enim ſolus Dei timor ad omnia. Si deleri velit, quæ ſcripta ſunt in gratiam Athanaſii; deleri quoque jubeat, quæ contra illum; ſic habitum iri ſynodum. Si velit Imperator recoqui iterum Athanaſii cauſam & id genus*

bere Ariani, ſi haberent omnes præter Liberium; adhæſurum è contra eis continuò totum orbem, ſi ille, qui caput orbis & Hierarcha per Antonomaſiam; fecere ſuis conſiliis apud Conſtantium, ut totâ ſuæ autoritatis mole incumberet ad ſuperandam conſtantiam ſancti Papæ. Admotæ ab eo hoc conſilio omnes machinæ, preces, promiſſiones, munera, & quod eſt indigniſſimum, minæ atrociſſimæ, tandem exilium. Cogitabant enim impii hæretici & ſpargebant: *ſi Liberium in noſtram ſententiam traxerimus, omnes brevi ſuperabimus*; unus ille per compendium omnes, vel pro omnibus; ſperabant ſcilicet fore magnetem omnium ſuo exemplo. Nec mora: expeditur actutum à Conſtantio præfectus ejus cubiculo Euſebius Eunuchus cum literis & muneribus ad Liberium; donis, ut alliceret; literis, ut terreret. Ubi ingreſſus Romam hic ſpado, ſtatim rectâ ſe proripiens ad Pontificem hortari illum acriter; ut expuncto Athanaſii nomine communionem iniret cum Arianis; id non modo Conſtantium

Athanaſ. ad Solitar.

Digitized by Google

velle ſed imperare; utque ait Athanaſius, *id enim Imperatorem velle & pro imperio jubere.* Oſtenſis deinde muneribus apprehensâ manu Pontificis *macte*, inquit, *Liberi*; *Imperatori pio obtempera & hæc accipe.* Ad iſta corrugans frontem Liberius intrepidè ait, *nefas eſſe damnare hominem nec auditum nec viſum; non eſſe reum, quem una & altera ſynodus dudum abſolverat & pronuntiaverat innocentem, quemque deceſſor ejus Julius dimiſerat cum Pacificis: hunc nec damnare poſſumus nec debemus. Averſemur abſentem, quem præſentem dileximus? Abſit. Quod Imperator ſtudeat reſtituere pacem Eccleſiis, laudamus Principis pietatem: id continget ex votis, ſi cogatur libera ſynodus extra palatium; ubi nec Imperator, nec Comes, nec Magiſtratus ullus interſit: ſufficit enim ſolus Dei timor ad omnia. Si deleri velit, quæ ſcripta ſunt in gratiam Athanaſii; deleri quoque jubeat, quæ contra illum; ſic habitum iri ſynodum. Si velit Imperator recoqui iterum Athanaſii cauſam & id genus*

bere Ariani, ſi haberent omnes præter Liberium; adhæſurum è contra eis continuò totum orbem, ſi ille, qui caput orbis & Hierarcha per Antonomaſiam; fecere ſuis conſiliis apud Conſtantium, ut totâ ſuæ autoritatis mole incumberet ad ſuperandam conſtantiam ſancti Papæ. Admotæ ab eo hoc conſilio omnes machinæ, preces, promiſſiones, munera, & quod eſt indigniſſimum, minæ atrociſſimæ, tandem exilium. Cogitabant enim impii hæretici & ſpargebant: *ſi Liberium in noſtram ſententiam traxerimus, omnes brevi ſuperabimus*; unus ille per compendium omnes, vel pro omnibus; ſperabant ſcilicet fore magnetem omnium ſuo exemplo. Nec mora: expeditur actutum à Conſtantio præfectus ejus cubiculo Euſebius Eunuchus cum literis & muneribus ad Liberium; donis, ut alliceret; literis, ut terreret. Ubi ingreſſus Romam hic ſpado, ſtatim rectâ ſe proripiens ad Pontificem hortari illum acriter; ut expuncto Athanaſii nomine communionem iniret cum Arianis; id non modo Conſtantium

Athanaſ. ad Solitar.

velle ſed imperare; utque ait Athanaſius, *id enim Imperatorem velle & pro imperio jubere.* Oſtenſis deinde muneribus apprehensâ manu Pontificis *macte*, inquit, *Liberi*; *Imperatori pio obtempera & hæc accipe.* Ad iſta corrugans frontem Liberius intrepidè ait, *nefas eſſe damnare hominem nec auditum nec viſum; non eſſe reum, quem una & altera ſynodus dudum abſolverat & pronuntiaverat innocentem, quemque deceſſor ejus Julius dimiſerat cum Pacificis: hunc nec damnare poſſumus nec debemus. Averſemur abſentem, quem præſentem diliximus? Abſit. Quod Imperator ſtudeat reſtituere pacem Eccleſiis, laudamus Principis pietatem: id continget ex votis, ſi cogatur libera ſynodus extra palatium; ubi nec Imperator, nec Comes, nec Magiſtratus ullus interſit: ſufficit enim ſolus Dei timor ad omnia. Si deleri velit, quæ ſcripta ſunt in gratiam Athanaſii; deleri quoque jubeat, quæ contra illum; ſic habitum iri ſynodum. Si velit Imperator recoqui iterum Athanaſii cauſam & id genus

ſperarem, quod & cauſam optimè retineret & Judex in eadem cauſa cum ſanctitate tua frequenter reſediſſet, credideram Dei Evangelium ſuâ legatione poſſe ſervari. Non tantùm nihil impetravit, ſed & ipſe in illam ductus eſt ſimulationem: poſt cujus factum duplici mœrore confectus moriendum magis pro Deo decrevi, nè videar noviſſimus delator exiſtere.

§. I.

Poſt illud inauſpicatæ legationis naufragium deſtinavit ſapientiſſimus Pontifex aliam longè inſigniorem meritis & ſanctitate eorum, qui eâ perfuncti. Ad ſubeundam iſtam provinciam delecti duo de gremio cleri Romani Hilarius diaconus & Pancratius presbyter: cumque ordinante cœlo Romam intraſſet per eos dies præſul infracti animi & zelo fidei æſtuans Lucifer Calaritanus in Sardinia; creavit illum Liberius principem legationis difficillimæ, deditque illi ſocium Epiſcopum ejuſdem celebritatis Euſebium Vercellenſem; eoque

nomine illi ſcripſit ſuaviſſimas literas, quibus rogabat illum impensè; ut unà cum iis tribus legationem ſuſciperet in hoc diſcrimine. Proficiſcenti Lucifero dedit Liberius literas ad Imperatorem Conſtantium, quarum initio captatâ ingeniosè ejus benevolentiâ diluit poſtmodum calumniam impactam ſibi mendacio Arianorum; rogavitque demum ejus Serenitatem, ut dignaretur convocare Concilium in his anguſtiis. Indulſit Imperator tam ſplendidis oratoribus, quod flagitabant, collectoque incunctanter conventu *confluxere Mediolanum plures quam trecenti Antiſtites ex Occidente. Præfuere Liberii loco tres illius legati; & hi cum viriliter & intrepidè reſtitiſſent Arianorum conatibus detrectantes Athanaſianæ damnationi ſubſcribere, variis ſunt affecti ſuppliciis: Lucifero irrogata deportatio in Palæſtinam, inflicta quoque Pancratio; nec ſcitur locus; Hilarium ſimiliter fecere extorrem, ſed non niſi flagellatum egregiè inſultantibus illi inter atrociſſima verbera & dictitantibus in illa flagello-

* *Anno* 355.

rum grandine [ut Athanaſius prodit ad Solitarios] Valente & Urſacio, qui intererant; *Quare Liberio non reſtituiſti, ſed ejus literas attuliſti?* Relegatis in tranſmarinas provincias plenas amore literas & elogiis ſcripſit Liberius in gratulationem magis quam in ſolatium: in iis ſparſi varii affectus gaudii & mœroris, deſiderii & admirationis: gaudii, quod eſſent votorum compotes; mœroris, quod & ipſe non eſſet; deſiderii, præluxiſſe ipſis exemplo; admirationis, quod victoriam de perfidis retuliſſent. Ad calcem poſtulat eorum preces & eorum literis certiorem fieri rerum omnium, quæ iis contingerent in exilio, cruciatuum maximè; ſi quos devorarent ab Arianorum barbarie. *Quo*, inquit, *præconio laudis, quâ vocis exultatione merita virtutis veſtræ proferam poſitus inter mœrorem abſentiæ veſtræ & gaudium gloriæ prorſus invenire non poſſum? niſi quod ſcio hinc me probabiliora vobis ſolatia exhibere, ſi credatis me vobiſcum in exilium eſſe detruſum. Denique me in ipſa nunc expecta-*

Digitized by Google

tione pendentem, quia conſortio veſtro dura neceſſitas interim diſtrahit, ſatis contriſtor. Optarem enim, fratres cariſſimi, prior pro omnibus vobis impendi, ut exempla gloriæ per me magis veſtra dilectio conſequeretur. Sed fuit hæc palma meritorum veſtrorum, ut priores de perſeverantia fidei ad confeſſionis illuſtrem gloriam veniretis. Quæſo igitur dilectionem veſtram, ut me præſentem vobiſcum eſſe credatis, & intelligatis dolere ſatis; quod ſim interim à veſtro conſortio ſeparatus. Quantam denique gloriam fueritis conſecuti, hinc magis ſcire poteſtis; quod qui in perſecutione coronati ſunt, ſolius perſecutionis cruentos gladios ſentire potuerunt: contra vos devoti per omnia Dei milites etiam falſos fratres inimicos experti victoriam de perfidis retuliſtis.

§. II.

Dum ita totus erat Liberius, ut animaret & ſolaretur tam claros & generoſos exules; rati ſe nihil ha-

bere Ariani, ſi haberent omnes præter Liberium; adhæſurum è contra eis continuò totum orbem, ſi ille, qui caput orbis & Hierarcha per Antonomaſiam; fecere ſuis conſiliis apud Conſtantium, ut totâ ſuæ autoritatis mole incumberet ad ſuperandam conſtantiam ſancti Papæ. Admotæ ab eo hoc conſilio omnes machinæ, preces, promiſſiones, munera, & quod eſt indigniſſimum, minæ atrociſſimæ, tandem exilium. Cogitabant enim impii hæretici & ſpargebant: *ſi Liberium in noſtram ſententiam traxerimus, omnes brevi ſuperabimus;* unus ille per compendium omnes, vel pro omnibus; ſperabant ſcilicet fore magnetem omnium ſuo exemplo. Nec mora: expeditur actutum à Conſtantio præfectus ejus cubiculo Euſebius Eunuchus cum literis & muneribus ad Liberium; donis, ut alliceret; literis, ut terreret. Ubi ingreſſus Romam hic ſpado, ſtatim rectâ ſe proripiens ad Pontificem hortari illum acriter; ut expuncto Athanaſii nomine communionem iniret cum Arianis; id non modo Conſtantium

Athanaſ. ad Solitar.

velle ſed imperare; utque ait Athanaſius, *id enim Imperatorem velle & pro imperio jubere.* Oſtenſis deinde muneribus apprehensâ manu Pontificis *macte*, inquit, *Liberi; Imperatori pio obtempera & hæc accipe.* Ad iſta corrugans frontem Liberius intrepidè ait, *nefas eſſe damnare hominem nec auditum nec viſum; non eſſe reum, quem una & altera ſynodus dudum abſolverat & pronuntiaverat innocentem, quemque deceſſor ejus Julius dimiſerat cum Pacificis: hunc nec damnare poſſumus nec debemus. Averſemur abſentem, quem præſentem dileximus? Abſit. Quod Imperator ſtudeat reſtituere pacem Eccleſiis, laudamus Principis pietatem: id continget ex votis, ſi cogatur libera ſynodus extra palatium; ubi nec Imperator, nec Comes, nec Magiſtratus ullus interſit: ſufficit enim ſolus Dei timor ad omnia. Si deleri velit, quæ ſcripta ſunt in gratiam Athanaſii; deleri quoque jubeat, quæ contra illum; ſic habitum iri ſynodum. Si velit Imperator recoqui iterum Athanaſii cauſam & id genus

reorum ; damnandos qui Arium ſectantur & expugnandam hæreſim : ſtatuendum quod in Nicæno Concilio & auſpicandum à fide : nam & Dominus noſter Jeſus Chriſtus non prius ſanabat ægrotos , quam ubi oſtendiſſent & prolocuti fuiſſent quam fidem in ipſum haberent. Hæc à Patribus didicimus ; hæc ſunt, Euſebi, quæ velim renuntiari Conſtantio ; ſiquidem ea ipſa ſunt , quæ ſincerè conducunt utilitati S. Eccleſiæ , neutiquam alia. Perculſus tam generoſo reſponſo Eunuchus oblitus , quod ſtaret *corâm Epiſcopo* , [ſic appellat Liberium Athanaſius] ſpirans iram & minas è domo pontificia ſe incunctanter proripuit ad S. Petri oblaturus vel conſecraturus dona , quæ detulerat à Conſtantio. Idque cum reſciſſet Liberius admiſſam ſcilicet oblationem ab æditnuo ſeu cuſtode baſilicæ progreſſus illuc & ipſe objurgavit illum magnopere ; quod à tam prophana manu ſacris adimiſcuiſſet hæc munera Imperatoris hæretici : dedignatus ideo illi præcipere , ut citra cunctationem ea projiceret extra ſacrarium , projecit

Zelus Liberii.

ipſemet velut prophanam victimam. Recolebat utique non ſolum foris canes, ſed & quæ oblata à canibus & hæreticis, nullamque eſſe conventionem Chriſto cum Belial.

§. III.

Hac pietate Liberii ſeu potius ſacro illo furore commotior in eum factus Euſebius certiorem de omnibus fecit Conſtantium; Liberium ſuis obduruiſſe monitis; conatum ſe perſuadere illi, ut acquieſceret ejus placitis, ſed conatum dumtaxat; mordicus recalcitrare ejus imperio: atque adeò non vellet ſubſcribere in Athanaſium, ut Arianos nominatim traduceret; agendum tandem cum eo duriter & ſeverè, qui Principis benignitatem tam præfractè reſpueret. Hi Eunuchi ſermones fecere, quod vulgo dicitur; addidere calcaria Conſtantio ſponte currenti: cum enim nihil ſitiret ardentiùs, quàm ut authoritate eminentiſſimâ; quâ *potiuntur æternæ Urbis Epiſcopi*, ut Ammianus loquitur, firmaretur Athanaſiana pro-

ſcriptio ; poſt tentatas fruſtra preces, blanditias, promiſsiones, minas & munera ratus à verbis veniendum demum ad verbera ; per Leontium Urbis Præfectum juſſit, dolis imò vi adhibitâ, ſi doli non ſuccederent, mitti incunctanter ad Comitatum Chriſtianæ religionis Antiſtitem ; mutatum iri ab eo vel mentem vel Urbem ; frangendam ejus obſtinationem vel ſuperandam. Rapitur ergo Liberius ad Conſtantium ; idemque ſanctus Papa Mediolani, qui Romæ ; eâdem ſcilicet conſtantiâ tueri intrepidè innocentiam Athanaſij & fidei veritatem. Id luculenter probant hæc verba ; quæ productus coram Conſtantio non tam dixit Liberius, quam Spiritus Domini, qui loquebatur per illum liberè, ut ſolet, & imperterritè : *Deſine*, inquit, *Auguſte perſequi Chriſtianos ; noli meâ operâ velle invehere hæreſim in Eccleſiam ; ad furcas, ad equuleos & devoranda tormenta quantumvis atrociſſima parati prius ſumus, quam profiteri & ſentire quod Ariani ; tenta, noli nos facere perduelles. Si ſuadentem audieris,*

non pugnabis in Chriſtum, qui imperium, qui tibi dedit vitam & omnia; nec incandeſces ferociter in hos, qui ſunt illius divinitatis vindices, ne & tu etiam audias, durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare. Atque utinam ſic audias, ut & tu quoque quemadmodum Paulus, credas: ſic fias orthodoxus ex Ariano, ut ille Paulus ex Saulo perſequente. Quaris me, ecce ego: veni & tuis aſpectibus libens me obtuli, antequam ſuis mendaciis inimici mei me onerent: ideo maturare libuit meum adventum, quod noſſem exilium me manere; mitte me illuc, ut ante impactum crimen ſupplicium patiar: ſic afflicti alij, qui mecum ſentiunt; ſic miſſi in exilium innocentes; mittar & ego, ut liqueat non aliâ causâ eſſe & alios deportatos, quàm quòd calumniis atrociſſimis virulentiâ inimicorum fuerint onerati. Suo periculo intellexit ſanctiſſimus Pontifex veritatem oraculi Dominici: *Ad præſides &* Mat. 10. *ad reges ducemini propter me... no-* 18. 19. *lite cogitare, quomodò aut quid lo-* 20. *quamini: dabitur enim vobis in illa*

hora, quid loquamini. Non enim vos eſtis, qui loquimini; ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis. Ad inſperatam illam Liberii Papæ conſtantiam obſtupeſcens fermeque obmuteſcens Conſtantius nihil reſpondere, niſi quod tyranni ex more *ſic volo*; vel jactare verba tantùm magnifica & interminari illi, quod reliquis, exilium & alia id genus ſupplicia ad terrorem.

§. IV.

Dialogus Conſtantii cum Liberio.

Hæc paucis Athanaſius & quidem breviùs quam res ſe habuerit; ut legere eſt apud Theodoretum, qui l. 2. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capite 16. rem fuſiùs exequens narrat proceres iſtos Liberium & Conſtantium iſto congreſſu alternis locutos in hunc ferè modum non tamen iſtis verbis. Chriſtianus cum ſis & urbis noſtræ Imperialis Romæ Epiſcopus, libuit te huc accerſere ad noſtrum Comitatum, inquit Conſtantius Imperator; teque adhortari verbis benevolis, ut Athanaſii communionem repudies:

id dudum ſentit orbis Catholicus, jamque ſegregarunt eum Patres in ſynodo. Cum par ſit & deceat exerceri judicia omnia ex æquo & bono, Eccleſiaſtica maximè ô Imperator, ſubdit Liberius; ideò ſi ita viſum tuæ Serenitati, judicium Athanaſii retractari jubeto: ſi pœnam commeruerit, luet; condemnare aliter nefas ſit, Quorſum, inquit Conſtantius, recoquatur hæc cauſa; cum totus terrarum orbis ſuâ ſententiâ impietatem viri ejuſque moroſitatem eliſerit. Qui poſt audita ſycophantarum convitia ſubſcripſere damnationi hominis nec auditi nec viſi, infit Liberius; proſcripſere illum metu ignominiæ vel pænæ vel aucupio gloriæ. Concilio Tyrienſi aderat Athanaſius, reponit Imperator; ibique poſt ventilatam in utramque partem illius cauſam condemnarunt omnes unanimes. Egreſſus è conſeſſu fuerat Athanaſius, Liberius inquit; cum in illum immerentem ab inimicis pronunciata fuit ſententia. Interlocutos deinde Euſebium Eunuchum & Epictetum Epiſcopum, qui huic velitationi intererant, cum

ſanctus Pontifex ſuo non dignatus eſſet reſponſo; *Ergone*, ait Conſtantius, *tanta pars orbis, Liberi, reſidet in te uno & tuo capite; ut ſolus præbere ſubſidium impio, ſoluſque audeas interturbare & impedire pacem Eccleſiarum? Solus ſim, eſto; non ideo ſit deterior cauſa fidei: ſatis ſuperque liquet ex eo, quod inter myriades obtemperantium regi imperanti idololâtriam tres duntaxat ejus fuerint imperio refragati.* Ergo, inquit Euſebius, Imperatorem noſtrum putas alterum Nabuchodonozor. Abſit, tam temerè ſentiam aut loquar tam inſanè, ſubdit Liberius; temere fecerim, ſi ut tu, damnaverim hominem non auditum. Poſt multa ultrò citròque data reſponſa, cum dixiſſet incandeſcens Conſtantius, *nullam itaque victoriam tanti facio nec illam quam de Magnetio retuli & Silvano: quanti ut hunc*, Athanaſium ſcilicet, *ab Eccleſiaſticarum rerum adminiſtratione ſubmoveam, ſubjecit demum: unum eſt, in quo verſatur cardo negotii, ſuaſerim & ſic volo; ut & tu diſcedas pedibus in ſententiam om-*

nium Eccleſiarum ; paci conſules , ſi ſubſcripſeris , eoque pretio datur tibi reditus Romam. Exivi , reſpondet Liberius , *& ſtat animo numquam regredi ; tanti enim pœnitere non emo; fratres meos valere illic juſſi ; ſatiuſque mihi eſt ſervare tenaciter & mordicus ſacros canones ; quam repetere Romam, quam regere. Dixit fortè, Dominus dederat, Dominus abſtulit ; ſit nomen Domini benedictum.*

§. V.

Ne quid inſtituatur præproperè , ſubjicit Imperator , indulgemus triduum ad optionem ; habes in manu vel præeſſe , vel exulare & quocumque loco volueris. *Nec triduum* , ait S. Pontifex , *nec trimeſtre me mutent Imperator ; jacta eſt alea ; deportato me , quòcumque allubuerit ; non ibo illuc , ſed advolabo.* Datur , inquit Conſtantius , biduum , ſi poſt illud tranſactum dures pervicax & recalcitres noſtris imperiis , denuntio de te eſſe actum omnino ; certus ſum te relegare in Thraciam & Berœam illius

cœli urbem. *Ecce ergo mitte me, quod facis, fac citius iſto iſto articulo*, ait Liberius; *procraſtinare noli nec vel momentum; quorſum hæc mora?* Ne tam illuſtris exul careret omni ſubſidio, profecturo miſit Conſtantii humanitas quingentos aureos ad viaticum. Et ille, cui in uſu calcare opes, non poſſidere, deferenti infit; *revertere & Imperanti dicito, his illum habere opus ad mercedem ſcurrarum, vel ad ſtipendia militum.* Totidem cum miſiſſet haud multò poſt Euſebia Imperatrix ejuſdem lolij, cujus Conſtantius; nec dignatus eos adſpicere S. Papa ferenti juſſit, ut deferret eos Imperatori; neceſſarios ejus copiis: ſin minùs, iis liberaliter muneraret ſuas delitias Epiſcopos Arianos Auxentium & Epictetum; qui ſaginati fameſcerent, diſtenti ſcilicet pinguiſſimis reditibus adhuc egebant. Horum conſcius vel ignarus Euſebius Eunuchus tertiò & ultimò tentaturus Liberium ei ſe ſiſtit cum marſupio; in quo tot aurei, quot jam recuſaverat ſemel & iterum: nec modo eos negavit fortiter optimus

Digitized by Google

Pontifex, ſed & ſpadonem offerentem adhortans ſimul & increpans; *Tu*, inquit, *Eccleſias orbis terræ expilaſti, & jam mihi ut damnato & egenti eleemoſynam affers? Abi primum & Chriſtianus ipſe fias.* Sic victor totius Orbis Liberius in Conſtantio & Arianis Epiſcopis poſt exantlatam hanc luctam cum Imperante & evolutos tres dies à lucta feſtinavit, ut imperatum erat, in Thraciam. Nè relegato paſtore fieret interim in Urbe quaſi religionis juſtitium; in Liberii vicem auctore Acacio Cæſarienſi datus Romanæ Eccleſiæ fuit non ſponſus, ſed adulter vir pulchri nominis optimis moribus & orthodoxus Felix archidiaconus; vel ut aliqui, presbyter. Peramara erat ovibus pii paſtoris abſentia; & quamvis ferret eam impatientiſſimè, ut par erat, omnis ætas, ſexus & conditio; impatientia tamen muliebris pietatis æſtu efferbuit ſupra virilem. Rapta occaſio ex adventu Conſtantii in Urbem poſt triumphatum Magnentium. Sollicitæ enim pro Liberio jam biennali exule nobiliorum conjuges & magiſtratuum ſeorſim orant

Liberii vox intrepida.

maritos; ut confertim & quaſi manu factâ adirent Imperatorem, poſtularentque ab eo ſupplices, redderetur illis Liberius. Adjecere omnes & ſingulæ, ſi non exorarent Conſtantium, certas æterno divortio dare ſe illis libellum repudii, convolaturaſque facto agmine in Thraciam ad relegatum paſtorem, quem diligebant affectu charitatis. Mirum! quantâ libentiâ volebant interpellati mariti acquieſcere ſuis uxoribus: ſubodorati tamen futurum reſponderunt quam ſapienter ſubeſſe illis; quod in hac petitione jure metuerent ab irato Conſtantio, nec ſublucere petentibus ſpem impunitatis aut veniæ, quòd viri eſſent; conſultius fore, ſi Imperatorem ipſæ agminatim adirent & patronæ apud illum fierent pro Liberio; futurum, ut indulgeretur illis alterutrum vel Liberii reditus, vel ſaltem venia fœminis: viris non ita, nec repulſam tantùm manere illos, ſed & aliquid atrocius, deportationem aut mortem.

Theodor. l. 2. hiſt. Eccleſ. c. 17.

§. VI.

§. VI.

Oſculatæ matronæ piæ ac nobiles prudentiſſimum illud conſilium decreverunt convenire Conſtantium magno numero ; eoque fecere conſilio erga illum, ut caperent ipſo obtutu, quod caſta Judith erga Holophernem. Ornatæ ergo mundo muliebri ; & cultiores ſolito citra tamen adulteratæ frontis pigmenta & minium, ut cultu extimo & ſplendore veſtium Imperantem percellerent & frangerent pervicaciam ; proceſſere turmatim ad Auguſtale. Vixque intromiſſæ fuerant ab admiſſionalibus ad cubiculum Conſtantii ; cum ſtatim ſplendore natalium necnon & majeſtate ſimul & ſuavitate frontis omnium princeps : *Novum eſt*, inquit, *ſereniſſime Imperator, tentari id à nobis ; quod ex diſciplina & privilegio novimus ſolis viris eſſe conceſſum : ut collecti in gregem quaſi manu factâ ſe ſiſtant veſtris obtutibus ad reverentiam. Non livoris eſt aut temeritatis iſtud officium, quo defungimur, ſed*

R

Oratio Matron ad Cõſt.

pietatis ; nec tam noſtrâ ſponte, quam ex neceſſitate oritur, quod præter morem audemus. Scimus, fateor, & genio noſtro & ſexui nil convenire aptius, quam privatorum parietum latebras ; & has libentiſſimè ſervaremus, ſi per te nobis liceret, Imperator Auguſte. Servavimus eas ſummâ religione, quamdiu tua Roma fuit compos Liberii ; excuſſimus, ubi exceſſit ; mutationem iſtam peperit ejus migratio. Audivimus ſæpe ſæpius, percutiam paſtorem & diſpergentur oves gregis : in hoc caſu contrarium experimur in nobis ; congregamur & coimus in unum, ubi percutitur : nec congregamur tantùm, ſed & prodimus pietatis magis memores, quam pudoris : hæc una non modo audaces fecit, ſed piè impudentes & mutatas in omnibus & in cultu. Splendidus eſt, quem præferimus : nec ille ex noſtro eſt ingenio, ſed ex pietate, quæ larvam interdum ſumit, ſicut & vanitas & mollities. Larva ergo eſt iſta veſtimentorum ſuavitas, quam exhibemus ad lenocinium

Digitized by Google

oculorum : aliæ videmur, aliæ ſumus; foris lætæ, intus mœſtiſſimæ. Et ſi noſtro in vultu prodat ſe blanda ſerenitas & riſus hilarior; Sardonicus eſt & ab arte: cum in hoc unum noſtra nunc deſudet induſtria, non ut noſtros erudiamus oculos, ut fleant; ſed nè plorent, atque diſtenti lachrymis eas cohibeant. Tuæ benignitatis eſt, clementiſſime Imperator, reddere nobis lætitiam, quâ fruebamur, quamque abſtuliſti nobis auferendo nobis Liberium: reſtitue; id rogamus unum & ſufficit. Si abnuas; ſtat Berœam Thraciæ convolare, ubi ille; ut & aliquando verum eſſe contingat, aliquando & ab ovibus quæſitum eſſe paſtorem: ſatius nobis exulare cum illo, quam carere diutius duce tam ſancto & paſtore tam bono, qui noſtræ nutritor eſt pietatis. Et hæc fractâ ſuſpiriis voce cùm protuliſſet fortiter & intrepidè matrona nobiliſſima: advolutæ omnes cert[illegible] ad genua Imperantis Conſtantii inclamare ſupplices & flebili epiphonemate; illarum miſereret & urbis

infeliciſſimæ, quæ & carebat paſtore & luporum inſultibus erat pervia. Cumque reſpondiſſet Conſtantius non eſſe, quod miſereret illarum nec Urbis; ſuppetere paſtorem; ſubrogatum Felicem virum excellentiſſimis meritis regere eam in locum eliminati Liberii; ſatis ſuperque eſſe hunc unum ad abigendos lupos: conclamarunt omnes continuò & irrugientes dixere ſubſtitutum Felicem non paſtorem eſſe ſed lupum; communione, ſi non mente, conjunctum eſſe illum cum Nicænæ fidei hoſtibus; ideo nihil commune illis eſſe, nihil fore cum eo, nec baſilicam quidem; in quam nè unus Romanorum certus erat inferre pedem ad preces, quamdiu intruſus ille oraret intra illam.

§. VII.

Hac generoſâ matronarum reſponſione non indignatus Conſtantius, ſed tactus miſericordiâ uſurpavit hoc caſu diabolicam artem *dividatur:* nec Felicem ſolum præeſſe Ur-

Digitized by Google

bi voluit neque Liberium ſolum, ſed utrumque. Revocatur ergò Romam Liberius eâ lege; ut unà cum Felice ejuſdem gregis paſtor eſſet, occuparentque ambo eamdem ſedem. Quò veniret ad notitiam totius Urbis Imperatoris benignitas; placuit revocatorias literas legi altâ voce in Circo coram circumfuſa populi multitudine, qui frequens confluxerat ad ſpectaculum. Poſt lectionem habitam literarum acclamatum ſtatim ab omnibus per Ironiam unâ voce velut tonitruo, *æquam eſſe Imperatoris ſententiam*; à cœlo eſſe & majeſtate ſidereâ; nihil æquius excogitari poſſe, nihil aptius iſto loco & eâ conditione temporum; decretum ſapientiſſimè, ut pro diverſitate ſpectantium quantùm ad veſtes & earum colorem duo eſſent Romæ paſtores: diſtinctique cum eſſent Circenſes ratione coloris in duas claſſes, alii ſcilicet audirent *Veneti*, ſeu Cærulei, alteri *Praſini* ſive Virides, alterum quoque Epiſcoporum præficiendum *Venetis*, *Praſinis* alterum; continuòque additum, ut ſolebat, *io io triumphe*. Cum autem

ſubſannantes Romani acclamatione illâ irriſoriâ luſiſſent ſatis edictum Principis ut præpoſterum, confuſis demum vocibus ſuum luſum clauſerunt laudando & pio iſto Epiphonemate; *Unus Deus, unus Chriſtus, unus Epiſcopus*. Poſt editas & auditas has voces remigrandi Romam facta licentia à Conſtantio ſancto Papæ Liberio eâ tamen conditione; ut dexteram ſocietatis jungeret cum Epiſcopis Arianis, qui ſecum erant in Comitatu. Priuſquam tamen ſuam Romam repeteret, ſtructæ illi ab Arianis inſidiæ, & proh dolor! ſe expedire iis non potuit invictus ad hunc uſque diem Liberius. Cum relictâ Româ migraſſet Sirmium in Illyrico conflaſſetque ibi Conſtantius conciliabulum verius quam Concilium ex Arianorum colluvie: pro hæreticorum ingenio, qui alternant, procuderunt novam fidei formulam contra Photinum Epiſcopum Sirmienſem, & ab illa lapſus Liberii. Unicum id Conſtantii votum erat, ut S. Papa iniret communionem cum ſuis abdicaretque Athanaſium;

Anno 351. Valeſius in notis ad Socrat. L. 2. c. 30.

& quamvis probè noſſet id à ſe tentatum ſæpe ſæpius fruſtra; præſumpſit haud ſe luſurum operam, ſi tentaret iterum per Legatos; alium eſſe felicis animum, alterum exulis. Electi ad hoc & immiſſi ab eo Berœam duo ſerpentes magis quam Præſules Demophilus Epiſcopus Berœenſis & Fortunatianus Aquileienſis, qui ita tunderent obſtinatum Liberium, ut vincerent. Pontificis animam jam invaſerat tædium & nauſea biennalis exilii; nec operoſum fuit Epiſcopis impetrare ab illo, quod & Berœa & Roma relegato dudum ſuaſerant ſine lingua: utraque enim ſuo erat modo invicti hactenus illius *Samſonis Dalila*; hæc oneribus & ærumnis, illa è contra blanditiis & honoribus. Delinitus ergo à Philiſthæis illis hic Samſon; & terrore mortis, quam intentabant, amplexus, quod devoverat fortiter, damnavit Athanaſium; rediturusſque in gratiam cum Arianis ſubſcripſit primæ formulæ Sirmienſi, quâ Filius aſſerebatur eſſe ejuſdem ſubſtantiæ cum Patre, & quæ contra Photinum edita fuerat; ut probat

3. Parte ſæculi 4 diſſertat. 31. peremptoriè Pariſienſis doctor Natalis Alexander.

§. VIII.

Iſtud Liberii deliquium prodit & excuſat vel elevat eâ charitate, quâ poteſt, Athanaſius Epiſtolâ ad Solitarios iſtis verbis: *Liberius deinde poſt exactum in exilio biennium inflexus eſt; miniſque mortis ad ſubſcriptionem inductus eſt. Verum illud ipſum quoque & eorum violentiam & Liberii in hæreſim odium & ſuum pro Athanaſio ſuffragium, cum liberos affectus habebat, ſatis coarguit. Quæ enim per tormenta contra priorem ejus ſententiam extorta ſunt, ea jam non metuentium, ſed ita cogentium voluntates habendæ ſunt.* Poſt extortæ ſubſcriptionis calculum videbatur rediturus continuò in ſuam ſedem & Romam, cujus amore peccaverat, Liberius: non datum tamen niſi poſt preces & emendicatas eo conſilio etiam Arrianorum commendatitias ad Conſtantium, ut ejus humanitatem interpellarent pro Libe-

rii reditu. Horum omnium teſtem habemus & confitentem reum ipſummet Liberium; qui ſuis ad Orientales, ideſt Epiſcopos, qui Sirmium ſe receperant ex Oriente, literis ſincerè hæc recenſet & ſine fuco. *Ego*, inquit, *Athanaſium non defendo; ſed quia ſuſceperat illum bonæ memoriæ Julius Epiſcopus deceſſor meus, verebar nè ab aliquo fortè prævaricator judicarer. At ubi cognovi, quando Deo placuit, juſtè vos illum condemnaſſe; mox conſenſum meum commodavi ſententiis veſtris: literas ad hæc quæ ſuper nomine ejus, ideſt de damnatione ipſius per fratrem noſtrum Fortunatianum dedi perferendas ad Imperatorem noſtrum Conſtantium. Itaque amoto Athanaſio, ſuper quo ſtatuta omnium veſtrûm à me cum ſede Apoſtolica ſuſcipienda ſunt; dico me cum omnibus vobis & cum univerſis Epiſcopis Orientalibus ſeu per univerſas provincias pacem & unitatem habere. Nam ut verius ſciatis me veram fidem per hanc epiſtolam meam prologui: Dominus meus & frater meus communis Demophi-*

lus qui dignatus eſt pro ſua benevolentia fidem veram & Catholicam exponere, quæ Sirmii à pluribus fratribus Coëpiſcopis noſtris tractata & expoſita & ſuſcepta eſt, hanc ego libenti animo ſuſcepi in nullo contradicens. Sanè petendam credidi Sanctitatem veſtram, quia ſemper videtis me in omnibus vobis conſentaneum eſſe: dignamini communi conſilio ac ſtudio elaborare, quatenus de exilio jam dimittar & ad ſedem, quæ mihi divinitus credita eſt, revertar.

§. IX.

Cùm autem Liberius intelligeret Urſacium, Valentem & Germinium tres Arianæ factionis dæmones potius quam Epiſcopos, ſupra omnes pollere ſingulari gratiâ apud Conſtantium: privatis eos literis ſollicitavit, ut precibus efficaciſſimis emungerent ejus reſtitutionem in ſedem Romanam & reditum à Conſtantio. Uſurpatæ hoc conſilio voces mellitiſſimæ in ipſo limine ad captandam trium illorum,

Digitized by Google

diabolorum benevolentiam ; vocatique adulatione fœdiſſimâ filii pacis, qui autores erant belli vel fomites. *Urſacio, Valenti & Germinio Liberius. Quia ſcio vos filios pacis eſſe, diligere etiam concordiam & unitatem Eccleſiæ Catholicæ ; idcirco non aliquâ neceſſitate compulſus, teſte Deo dico, ſed pro bono pacis & concordiæ, quæ martyrio præponitur, his literis convenio vos, Domini mei cariſſimi ..... Scire vos volo, quod fratrem Fortunatianum petii, ut literas meas ad clementiſſimum Imperatorem perferat, quas ad Orientales Epiſcopos feci, ut ſcirent & ipſi unà ſecum Athanaſii communione me eſſe ſeparatum.* Exponens paulò poſt quo propoſito ſcriberet : *his literis meis*, inquit, *convenio vos & adjuro per Dominum omnipotentem & Chriſtum Jeſum Filium ejus Dominum noſtrum & Spiritum Sanctum, ut dignemini ad clementiſſimum Imperatorem Conſtantium Auguſtum pergerè & petere, ut bono pacis & concordiæ, in qua pietas ejus ſemper exultat, me ad Eccleſiam mihi di-*

vinitus traditam jubeat reverti, ut temporibus ipſius Eccleſia Romana nullam ſuſtineat tribulationem.... Me autem cum omnibus vobis Epiſcopis Eccleſiæ Catholicæ pacem habere his literis meis æquo & ſimplici animo ſcire debetis... Scire autem volo etiam fratres & Coëpiſcopos noſtros Epictetum & Auxentium pacem me & communionem Eccleſiaſticam cum ipſis habere, quod credo gratanter ſuſcepturos. Dedit tandem Liberius alias ad Vincentium Capuanum, quibus precabatur eum impensè, ut luſtratis Campaniæ diœceſibus invitaret omnes & ſingulos ejus Epiſcopos communi epiſtolâ interpellare Imperatorem pro celeri ejus liberatione à calamitate exilii. Ubi autem ipſo exordio præmiſit hæc verba: *Inſidiæ malorum hominum benè tibi cognitæ ſunt, unde ad hunc laborem perveni; & ora ut det Dominus tolerantiam*, ſubjungit iſta ſollicitudine incredibili; *Dignaberis convenire omnes Epiſcopos Campaniæ & hæc illis inſinuare & ex eorum numero unà cum epiſtola veſtra*

de unanimitate noſtra & pace ad clementiſſimum Imperatorem noſtrum ſcribere, quò poſſim & ego de triſtitia magna liberari. Abſolutis literis inſeruit & hanc periodum; quâ eliquatiſſimè conſtat, quantâ impatientiâ ferret relegationis triſtitiam, quantoque deſiderio anhelaret Romam repetere: *Cum omnibus Epiſcopis Orientalibus pacem habemus & vobiſcum; Ego me ad Dominum ſolvi, vos videritis, ſi volueritis me in exilio deficere. Dominus judex inter me & vos.* Nè quid atrocius dicam in hanc anxietatem Liberii; indicavit luculenter his precibus importunis; quanto amore patriæ teneretur & quàm verum in eo fuerit notum lippis & tonſoribus diſtichon:

Neſcio, quâ natale ſolum dulcedine cunctos
Ducit & immemores non ſinit eſſe ſui.

§. X.

Heu heu quam totus homo Protheus eſt & verſatilis! & quanti eſt

durare in bono & perſeverare uſque in finem. Implevit ſtatim Comitatum & Conſtantii aures hæc Liberii mutatio tot votis expetita; continuòque facta illi ab Imperante licentia remeandi, quò tam impatienter optabat: neque id indultum illi dumtaxat, ſed & Epiſcopi, qui Sirmii collegerant Synodum per hos dies, communibus calculis ſcripſere ad Felicem & Eccleſiæ Romanæ Clerum commendatitias literas pro reſtauratione Liberii; non quidem ut ſolus ille præeſſet, aut alternis lucerent ambo velut Caſtor & Pollux, ſed ut ſimul & ſemel. *Imperator*, ut habet Sozomenus, *conceſſit Liberio poteſtatem Romam revertendi: atque Epiſcopi Sirmii congregati ſcripſerunt literas ad Felicem, qui Romanæ Eccleſiæ præſidebat & ad clerum ejuſdem civitatis; ut Liberium ſuſciperent, utque ambo Apoſtolicam ſedem gubernarent & ſimul ſacerdotio fungerentur abſque ulla diſſenſione* καὶ κοινῇ ἱερᾶσθαι μεθ' ὁμονοίας: *& quidquid moleſtiæ acciderat*

L. 4. *hiſt.* c. 15. *verſ. Valeſii.*

propter Felicis ordinationem atque abſentiam Liberii oblivioni traderent; ἀμνηςίᾳ τε παραδοῦναι τὰ συμβάντα. Si tamen fides in his libro Pontificali; cum intelligerent Sirmienſes contra canones eſſe, quod eamdem Eccleſiam ſimul regerent duo Epiſcopi; abrogato Felice velut intruſo reſtituerunt Liberium: & circa eum mira prorſus contigit & repentina mutatio omnium ordinum urbis Romanæ. Quem enim paulò ante coluerant ut virum admirandæ conſtantiæ, ut vindicem fidei & propemodum ut martyrem Chriſti; exhorruere continuò ut transfugam religionis & proditorem. Ubi enim ſenſit Roma mutatum à ſeipſo Liberium Conſtantio adhæſiſſe in omnibus; alienatis omnium animis mutat & ipſa ſuum odium in amorem & amorem in odium; adoravit ſcilicet, quem abhorruerat & viciſſim abhorruit, quem adoraverat antea; ideſt abrogato Liberio, qui fœdam communionem inſtauraverat cum Arianis, Felicem Arianorum maſtygem ſubro-

gavit in ejus locum. Inde partes in Urbe & extemporalis ſeditio, ut inſonaret paſſim per vicos *ego ſum Liberii*, *ego Felicis*: inde internecinum odium & cœdes promiſcuæ à magiſtratibus in eos; qui detrectabant obtemperare Imperatoriis literis pro reſtitutione Liberii: ſævitum maximè in Sacerdotes & Clericos, quorum nonnulli ſubiere martyrium. *Ab eodem die*, quo Liberius quaſi victor in Urbem intravit, ut Hieronymus loquitur; *fuit perſecutio maxima in Clero*, ait liber Pontificalis: *ita ut intra Eccleſiam Presbyteri & Clerici plures necarentur & martyrio coronarentur.* Quodque fermè ſuperat omnem fidem, tantus Liberii & ſectatorum ejus horror orthodoxos invaſerat; ut non modò ab ingreſſu baſilicæ, in quam Liberius conveniebat cum ſuis, ſed & abſtinebant etiam à balneis publicis exemplo Joannis Evangeliſtæ; qui necbalnei lotionem communem habere voluit cum hæreticis. Quod in aqua; feciſſent Romani, ſi licuiſſet & in aliis elementis aëre & terra. *Perſecutio magna fuit*

Schiſma in Urbe.

Digitized by Google

in urbe Roma, pergit laudatus liber; *ita ut Clerici & Sacerdotes neque in Eccleſiam neque in balnea haberent introitum.*

§. XI.

Felicis obitu, qui haud ita diu poſt non ſine divinæ providentiæ gratia contigit, ſedata omnino fuit iſta digladiantium animorum tempeſtas; reſtitutaque ſimul ſedes Liberio, qui à Romano Clero fuit admiſſus iterum, ut legitimus Pontifex: ubi innotuit reſipuiſſe illum ex corde diremptamque ab eo ſocietatem cum Arianis. Eo in apice uſus humanitate, quâ æquum erat erga Clericos, qui Felici adhæſerant, aut ab eo fuerant ordinati; non admiſit eos ad communionem dumtaxat, ſed & permiſit gaudere eodem gradu & iiſdem honoribus, quibus ante gaudebant. Inſigniori tamen facinore ſe protulit ejus reſipiſcentia. Cum enim Arimini in Æmilia numeroſam ſynodum collegiſſet Conſtantius, & Vincentius Epiſcopus Capuanus cœtui præſide- *Ann. 359.*

Digitized by Google

ret ut legatus Liberii ; acerrima luctà efferbuit Arianos inter & Orthodoxos, volentibus Arianis ut Sirmienſis formula, quâ exploſis *Conſubſtantialitatis & ſubſtantiæ* vocibus Filius Patri ſimilis aſſerebatur, ſubſcriberetur ab omnibus; Orthodoxis ècontra contendentibus ſolum admittendum eſſe Nicænum Simbolum. Cum hærerent in hoc bivio & duo Gallicani Præſules Phœbadius Aginnēſis & Servatius Tungrenſis reliquis acriùs affirmarent nunquam amplexuros ſe conſcriptam ab Arianis formulam ; deluſurus eos Valens Epiſcopus Murſenſis ſimulato pacis & unitatis Eccleſiaſticæ ſtudio ſuggeſſit temperandum à verbis *Subſtantiæ & Conſubſtantialitatis* ; eò quod, ut ipſi dictitabant, rixas alerent & eſſent ſeminarium belli epiſcopalis; & in illorum vicem quaſi per indulgentiam inſerendam iſtam periodum; in qua occultum virus : *Filium Dei non eſſe creaturam ſicut cæteras creaturas* ; diſceſſumque ſtatim fuit & ſubſcriptum imprudenter ab omnibus huic ſententiæ. *Tunc*, teſte ſancto Hieronymo, Dialogo adverſùs Luci-

Concilium Ariminenſe.

Digitized by Google

ſerianos, *Uſiæ*, id eſt ſubſtantiæ, *nomen abolitum eſt: tunc Nicænæ fidei damnatio conclamata eſt. Ingemuit totus orbis & ſe eſſe Arianum miratus eſt.* Quæ ſancti doctoris verba non intelligenda ſunt ad literam & ut ſonant; ita ut Ariminenſes Catholici Nicænam fidem reipsâ damnaverint [quod eſt à veritate abſonum] ſed quod ablegatis *Conſubſtantialitatis & ſubſtantiæ* vocibus [quæ Orthodoxorum ſimbolum erant & teſſera] viſi ſint Nicænæ fidei proditores & promoviſſe negotium Arianorum ſubſcribendo præſertim ſententiæ; quæ cum in utramque partem exponi poſſet, præbebat anſam credendi fuiſſe eam ſubſcriptam ab omnibus & ſingulis Ariminenſis ſynodi Patribus in eum ſenſum, qui Arianis favebat. Ideò & jurè ſcripſit Hieronymus, totum mundum, qui Arianus non erat, miratum tamen ſe Arianum eſſe; quod ſcilicet *per ſubreptionem* admiſiſſet & firmaſſet ſcripto ambiguam propoſitionem Valentis, quæ in uno ſenſu Arianiſmum purum putum ſpirabat.

Digitized by Google

Longè emunctioris naris Liberius ſubodoratus fraudem, quam Epiſcopi congregati tanto numero non olfecerant, novam fidei formulam approbare noluit, neque ratam habere ſuâ ſubſcriptione. Idque manifeſtè colligimus ex epiſtolâ Damaſi Papæ apud Theodoretum verſionis Valeſii l.2. hiſt. c.22. *Neque enim*, inquit, *præjudicium aliquod naſci potuit ex numero eorum, qui apud Ariminum convenerunt: cum conſtet neque Romanum Epiſcopum, cujus ante omnes expectanda fuit ſententia*, μήτε τῶν ῥωμαίων ἐπισκόπου τοῦ πρὸ πάντων ἔδει τὴν γνώμην ἐκδέξασθαι, *neque Vincentium, qui tot annos Epiſcopatum illibatè ſervavit, neque alios hujuſmodi ſtatutis conſenſum aliquem commodaſſe.*

§. XII.

Non inulta fuit generoſa illa S. Papæ conſtantia: ubi enim comperit Valens Epiſcopus nullis minis, nullis

præmiis ineſcari poſſe Liberium, ſuam ut ſubſcriptionem apponeret profeſſioni Ariminenſi; eumdem Romæ tunc eſſe, qui Mediolani coram Conſtantio ante inflictum exilium, mandato Imperatoris depulit eum ab Urbe, non in aliquam inſulam aut Beroeam ut ante, ſed in ſuburbium: ubi veluti mortuus demoratus eſt pluſquam annum ſolidum in cœmeteriis ſuburbanis *Novellæ & Oſtriano*. Ad hæc domicilia mortuorum concurſabat & conveniebat Papam ſanctiſſimum cleri pietas ad furtiva colloquia, præſertim Damaſus; qui à deturbato Liberio deſignatus ob ſanctitatem & excellentiam meritorum Vicarius in abſentis locum mirâ ſollicitudine gubernabat Eccleſiam. Eam & ipſe demum reſumpſit defuncto Arianorum mecænate Conſtantio revocatus in ſuam ſedem cum cæteris exulibus indulgentiâ Juliani. Ut autem probaret ſe ſucceſſorem eſſe illius; cui ab imperante Domino injunctum fuerat, *& tu aliquando converſus confirma fratres tuos*; Italiæ Antiſtites & in illis omnes Oc-

cidentis Epiſcopos [qui circumventi dolis Arianorum & Conſtantii minis inviti ſubſcripſerant Ariminenſi formulæ & viſi fuerant Nicænam condemnaſſe] ſuis Encyclicis ad orthodoxiam & diſertam Conſubſtantialitatis Filii profeſſionem invitavit illicio veniæ. Dilapſus inde ad Eccleſias Orientis , Alexandrinam maximè , quam tot Arianorum turbines dudum concuſſerant ; per legatum magni nominis Euſebium Vercellenſem, qui poſt mutata crebra exilia in Thebaidem denique fuerat deportatus, unà cum Athanaſio collegit ſynodum Alexandriæ ; ut in ea reſarciretur ſinceritas fidei , quam intruſi ab Arianis fœdiſſimè dilapidaverant. Rerum omnium , quæ illo conſeſſu Antiſtitum ventilatæ , diſcuſſæ & definitæ fuerant, Athanaſius, ut mos erat, certiorem fecit Liberium , qui & omnia rata habuit ſuoque confirmavit aſſenſu. Liquet his verbis Athanaſii ex ea quã Ruffiniano ſcripſit * epiſtola per hos dies : in qua executus quæ in eo Concilio conſtituta fuerant circa lapſos , ſubdit iſta ad calcem :

* *Extat in Concil. Nicæn. 2. Act.* 1.

Quemadmodum hæc & Romam ſcripta ſunt, Romanorumque Eccleſiam omnia comprobaſſe conſtat. Eodem tempore aut fortè haud multò antea literas idem Liberius Athanaſio ſcripſerat; quibus præmiſſà ſuæ fidei profeſſione eamdem exigebat ab illo. *Huic igitur*, ait, *confeſſioni, frater Athanaſi, quæ vera fides in Catholica & Apoſtolica Eccleſia cenſetur, ſi mecum ſentis, coram judice Deo & Chriſto quæſo ſubſcribas: quò certiores reddamur, num ejuſdem nobiſcum ſuffragii ſis eademque ſtatuas de vera fide, ut & ego ſecurior efficiar.*

§. XIII.

Tot inter excellentia argumenta prudentiæ Liberianæ deluſa tamen fuit à Semiarianis vel Macedonianis ejus ſagacitas aut ſimplicitas. Cum enim Lampſaci in Helleſponto collectâ ſynodo Filium eſſe Patri *ſubſtantiâ ſimilem* definiſſent; nihil habuere antiquius, quam ut communionis fœdere ſe adjungerent Occidentalibus; eorum præſertim Patriarchæ *An. 365.*

Liberio: & in hoc opus & labor. Quod ergo bonâ fide & aperto marte ab illo noverant ſe impetrare non poſſe; veri in hoc Gabaonitæ extorſere id dolis & mendacio ſplendido. Mittunt hoc conſilio legatos ſelectiores Epiſcopos tres Euſtathium Sebaſtenum, Silvanum Tarſenſem & Theophylum Caſtabalorum in Cilicia. Dant illis ante omnia in mandatis; ut emuncturi communionem Liberii Nicænam ſynodum inclamarent ad nauſeam, & opportunè importunè jactarent ſe *Conſubſtantialitatis* acerrimos vindices; verbis neutiquam parcerent nec promiſſis, ſed ſtrenuè gererent, quidquid poſtularet Liberius. Ingreſſi Romam adeunt ſanctum Pontificem oblaturi literas nomine ſynodi, quæ eos delegaverat: detrectare eas ille uti Arianorum Antiſtitum, qui abrogaſſent fidem Nicænam; ideo nec poſſe recipi ab Eccleſia. Confeſſi illi ingenuè ſe Arianiſaſſe olim cum aliis deierarunt ſe recantaſſe tandem & mutatos omnino; ſentire ſe Filium *ſimilem* eſſe Patri in omnibus, eamque dictionem ſonare apud illos idem

idem, quod *Conſubſtantialis. Liberio,* ait Socrates, *literas ſuas porrexerunt. Ille initio quidem eos admittere recuſabat; Arianarum partium illos eſſe dicens, nec ab Eccleſia ſuſcipi poſſe, utpote qui Nicænam fidem abrogaſſent. At illi ſe dudum reſipuiſſe & veritatem agnoviſſe reſponderunt, & Anomæorum quidem doctrinam ejuraſſe jampridem: Filium verò Patri per omnia ſimilem confeſſos eſſe, nec ullatenus diſcrepare Conſubſtantialē à ſimili:* μηδ᾽ ἓν τι διαφέρειν τῦ ὁμοȣσίȣ τὸ ὅμοιον. At quia planè noverat ſapientiſſimus Pontifex nihil eſſe facilius, quam dare verba, totos eſſe in dolis Orientales & ſolitos convehere plauſtra mendaciorum ad circumveniendum; nec iis fidem habere nec habiturum ſe umquam aſſeruit poſt tot perjuria: niſi prius ſuæ profeſſionem fidei ſcripto traderent in mnemoſynon æternitatis. Tam prudenti petitioni aſſenſi perlibenter, quibus unicum mandatum erat & penſum ſimulare ſtrenuè & mentiri, obtulere incunctanter Libellum, qua-

L. 4. c. 12. verſion. Valeſ.

lem ſincerè orthodoxi & Athanaſius, ſi dediſſet. In eo non alia fidei formula quam quæ Nicæni Concilii; & hunc porrexere Liberio. Titulus erat ejuſmodi, *Domino fratri & comminiſtro Liberio Euſtathius, Theophylus & Silvanus in Domino S.* ἐν κυρίῳ χαίρειν. Profeſſi nomine ſynodi Lampſacenæ & aliarum, quarum legatione defungebantur, ſe amplecti & ſervaturos fidem Nicænam & Conſubſtantialis vocabulum, ſeque execrari & condemnare fidem Ariminenſem ſubjunxere iſtam formulam: *Credimus in unum Deum Patrem.... Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum Filium Dei, genitum ex Patre, ideſt ex Patris ſubſtantia, Deum ex Deo... Genitum, non factum: Conſubſtantialem Patri.* γεννηθέντα, οὐ ποιηθέντα, ὁμοούσιον τῷ πατρί.

Socrat. ibidem.

§. XIV.

Hoc libello velut idoneis ſponſoribus & legitimis prædibus cum Liberius obſtrinxiſſet legatos, τούτῳ δὴ τῷ βιβλίῳ τοὺς πρέσβεις ἀσφαλισάμενος ὁ Λιβέριος; poſt

tam prudenter geſta dedit iis oſculum pacis & ad communionem eos recepit. Remeantibus tradidit literas ad univerſos Epiſcopos Orientis, quibus ubi ſignificavit ipſo limine incredibili ſe perfuſum lætitiâ, quod eorum literis didiciſſet ſentire illos, quod ipſe; eorumque legati non verbis tantum ſed & ſcripto fidem profeſſi eſſent Nicænam; narrat poſtea quomodo Ariminenſes, qui partim illecebris, partim dolo à veritate defecerant, reverſi haud multò poſt ad ſanam mentem ſubſcripſerant Catholicæ fidei apud Nicæam promulgatæ. Subdit demum his verbis, quæ ratio illum induxerit ad ſcribendum; *Congruum nobis viſum eſt ad caritatem veſtram ſcribere & juſta petentibus ſubvenire: præſertim cum ex legatorum veſtrorum profeſſione cognoverimus Orientales ad ſanam fidem reverſos cum Orthodoxis Occidentalibus Epiſcopis conſentire.* In ea epiſtola nè verbum quidem Liberius de reſtitutione Euſtathii in ſuam ſedem Sebaſtiam minoris Armeniæ civitatem: ideò avidus apicis, è quo detur-

batus fuerat, emunxit ab ejus benignitate literas peculiares, quibus hortabatur Epiſcopos Orientis vel imperabat reddere Epiſcopatum Euſtathio. Et has cum ipſe ejus nomine porrexiſſet Patribus Concilii Tyanenſis in Cappadocia, tanto venerationis affectu paruere adhortanti vel imperanti Liberio; ut non modo Euſtathium uti Orthodoxum admiſerint in Concilium, ſed & reſtituerint in Sebaſtenam Eccleſiam. Teſtatur id Baſilius epiſtolâ ſeptuageſimâ quartâ ad Occidentales; in qua depingens ex profeſſo genium & mores Euſtathii aſſerit, non aliâ ratione poſt abdicationem profectum Romam, quam ut authoritate Liberii ſedem reciperet. *Epiſcopatu*, inquit, *ejectus . . . viam ſibi ipſi, per quam reſtitueretur, excogitavit, eam videlicet, ut ad vos proficiſceretur. Quæ verò ſint illi à beatiſſimo Epiſcopo Liberio propoſita & ad quæ conſenſerit, nobis clam eſt: niſi quod epiſtolam attulit, per quam reſtitueretur. Eam ubi Tyaneæ ſynodo exhibuit, in ſuum locum reſtitutus eſt.* Non ſervavit tamen diu peſſimus &

recoctus hypocrita ſpecioſam hanc larvam, quam præferebat in veſtimento ovis lupus rapax, manibus Eſau, voce Jacob: ubi enim recepit infulas, reſumpſit ſuum genium rediitque haud multò poſt veluti canis ad vomitum, latravitque ferociter in *Homouſion.* Nec in hoc culpandus Liberius, ut qui nimia facilitate deliquerit: ſi quod enim in hoc ſit peccatum illius, non aliud certè; quàm quod non fuerit Deus, cordium ſcilicet cognitor, & præſcius futurorum.

§. XV.

Quam acceptus Deo Liberius & quam carus fuerit illibatæ Deiparæ, liquet invidendâ illâ prærogativa; quâ dignata illa majeſtate frontis ſidereæ ſe per ſomniū oſtendere ejus oculis juſſit: ut eâ Exquiliarum parte, quæ candicabat nive, impenſis Joannis Patritii excitaret in honorem ſuum baſilicam; quæ olim S. Mariæ ad Præſepe ſive Liberii, hodie ad diſcrimen omnium ejuſdem nominis vulgo audit S. Mariæ Majoris. Religioſus cultor Agnetis virginis ſepulchrum ejus, in quo jacebant ſacræ illius reliquiæ, exor-

navit *Platoniis*, ut loquitur liber Pontificalis, id eſt ſtravit lapidibus columniſque locupletavit ex marmore. Ornavit & Eccleſiam gemmis pretioſiſſimis & pulcherrimis margaritis, cum virginibus. Quantas Chriſto elocaverit tradito virginitatis flammeo, nuſpiam legitur. Clariſſima omnium ſoror Ambroſii Marcellina, quæ cum ambiret unà cum aliis adoleſcentulis nuptias Agni & Chriſti; ſola candidatarum dignata tam caſtis hymenæis coram grege nuptarientium ſimiliter puellarum non velamen tantum virginitatis ſed & laudem & gratulationem meruit ore Liberii; qui ad pompam defungens hac ceremoniâ ſermonem habuit tam pium & elegantem, ut libro tertio de Virginibus integrum Ambroſius inſeruerit cum elogio, veluti gemmam. *Tempus eſt*, ait, *ſoror ſancta, ea quæ mecum conferre ſoles, beatæ memoriæ Liberii præcepta revolvere; ut quò vir ſanctior, eò ſermo accedat gratior. Namque is, cum in Salvatoris Natali ad Apoſtolum Petrum virginitatis profeſſionem veſtis quoque mutatione ſignares* [*quo*

enim melius die, quam quo Virgo poſteritatem acquiſivit?] *atque aſtantibus etiam puellis Dei compluribus; quæ certarent invicem de tua ſocietate: Bonas, inquit, filia nuptias deſideraſti.* Ad calcem ſermonis, quem conſequenter intexit, ſubdit doctor magnus hæc verba ad canonizationem ſancti Pontificis: *Hæc tecum ſanctæ memoriæ Liberius, quæ apud alios majora verbis, apud te minora exemplis ſunt.* Anhelabat & Liberius ad eaſdem nuptias: earumque tandem evaſit compos; cum defunctus per annos quindecim, menſes quatuor & diem unum vario & alterno Pontificatu partim bono, partim malo liberatus de corpore mortis hujus intravit in gaudium Domini ſui. Inſcripta faſtis ejus memoria nono Kalendas Octobris recenſetur cum aliis ſanctis ejuſdem diei; idque liquet his verſibus

Nonum Thecla tenet roſeo perfuſa cruore,
Liberiuſque dicat Romanam Papa per urbem,
Levita & Soſius merito ſplendeſcit honore.

Martyrol. a Vandelberti 23. Septemb.

SANCTUS FELIX II. Papa XXXVIII.

TOT inter veros & legitimos Chriſti Vicarios ſanctæ Dei Eccleſiæ præfuit monſtrum Pontificis magis, quam Pontifex Felix II. Romanus ex Anaſtaſio patre: quippe qui ſchiſmaticus & Antipapa non ſolum, ſed & inaudito adhuc portento ſucceſſoris ſui ſucceſſor, ſimul & deceſſoris ſui deceſſor fuit: & hæc illi novitas contigit ab alternante Liberio. Explicaturi hanc hiſtoriam vel ænigma, operæ pretium eſt repetere eam ab ovo. Cum virtute magis, quam dignitate emineret Felix in Romana Eccleſia clareretque inter clericos integritate fidei; è Liberii Papæ diacono vel presbytero evaſit in ejus ſublati, nondum extincti, ſucceſſorem. Promotor ejus Acacius; qui teſte Hieronymo, *in tantum ſub Conſtantio Imperatore claruit, ut in Liberii locum Romæ Felicem conſtitueret.* Ordinatores tres ejuſdem farinæ Antiſtites;

De Scriptor. Eccleſ. in Acacio.

exploratores veriùs quam Epiſcopi, ut loquitur Athanaſius. *Tres Eunuchos*, inquit, *præſentes eſſe juſſit, tres item* κατασκόπους, *hoc eſt exploratores* [*non enim Epiſcopos dixeris*] *ut ipſi Felicem quemdam Epiſcopum in palatio crearent dignum profectò talibus ſuffragatoribus.* Cauſa vel occaſio electionis tam præmaturæ non alia fuit, quam conſtantia inſuperabilis Liberii & irrogatum illi in pœnam exilium à Conſtantio; qui, nè Roma careret omnino ſuo Paſtore, Acacii vel Urſacii operâ umbram ejus ſubſtituit in Felice. Prodit tamen liber Pontificalis ſuffectum illũ procurante Liberio in ejus vicem calculis Cleri. Tam infelicibus auſpiciis initiatus Papa ſchiſmaticus natali in urbe, quæ plena populo, ſenſit ſe Epiſcopum ſine plebe, & in ovili maximo paſtorem ſine grege. Eum enim tam pio horrore execrabantur orthodoxæ civitatis indigenæ, quod fœdâ ſe Arianorum ſcabie vel communione pollueret; ut nec paterentur ejus afflatum intra ejuſdem ſepta baſilicæ: illã enim quoties inibat inviſus Pſeudo-ponti-

Epiſt. ad Solitar.

ſex; collecta plebs ad ſynaxes proripiebat ſe foras continuò metu contagii. Nec deferbuit tam laudabile odium & cantilena ſanctiſſima, quam concinebant certatim, *ſumus Liberii, non Felicis* : niſi Liberii reditu è Berœa Thraciæ in ſuam ſedem. Reverſo daturus ſponte ſedem & Urbem Felix clam ſe proripuit in civitatem proximam. *Reverſus eſt admirandus ille Liberius* : *Felix verò recedens in aliam ſe contulit civitatem*, ait Theodoretus Valeſii. Ab hac ipſa periodo ex invaſore mutatus Felix in paſtorem, ex adultero in ſponſum præfuit Romanæ Eccleſiæ ut legitimus Pontifex. Metamorphoſim tam mirabilem ſimul & repentinam peperit Liberianum deliquium. Cum enim Berœâ reverſus Romam Liberius ex mandato Conſtantii Imperatoris faceret, quod paulò antea Sirmii, Arianizaret in ſpeciem; colloquiis ſcilicet & quotidiano convictu ſocietatem iniiſſet cum Arianis, uti promiſerat; ad hanc Arianizantis Liberii ſpeciem tam pio horrore incanduit in illum tota Urbs; ut continuò abdica-

L. 2. hiſt. c. 17.

Digitized by Google

verit, quem ut generoſum Chriſti Athletam adoraverat & velut inconcuſſam Eccleſiæ columnam.

§. I.

Nec ſolus populus inhorruit ad hanc mutationem ſed & ipſemet Felix: qui vel mutatus in melius vel uſus laudabiliter hac defectione Liberii converſis rerum vicibus *refulſit ſol, qui priùs erat in nubilo*; id eſt qui antea eodem pacto Arianizaverat, communionem abrupit cum Arianis. Ex hac utriuſque alternatione mira ſtatim mutatio totâ in Urbe; nec dumtaxat in populo, ſed & in clero & Senatoribus. Inde ſchiſma & erumpente ſchiſmate immugire paſſim per vicos, *Ego ſum Felicis, Ego Liberii.* Inde ab orthodoxis, quibus horrori erat hæreſis Ariana, rapta occaſio deficiendi à Liberio, ut à transfuga fidei, licet amaſſent illum & adoraſſent fermè ut martyrem: inde qui vapulabat ut nebulo & ſchiſmaticus, haberi ab iiſdem cœpit, ut veritatis vindex & legitimus Pontifex annumeratus & annumerandus inter legitimos Felix Secundus. Sic, ut ita lo-

2. *Mach.* 1. 22.

Digitized by Google

Duperron l. 1. c. 27. Reſpon. ad Reg. Brit.

quar, obtenebrato *Polluce Caſtor* illuxit. Sic......... *Uno avulſo non deficit alter Aureus & ſimili vernavit Roma metallo.* Intantum autem exarſit pietatis hic furor; ut ab aris abſtineretur & à balneis publicis; & libare illas & has inire detrectabant *Feliciani*; nè quâ in re intercederet iis umbra fœderis cum Liberio & ejus ſectatoribus. Non præteriit Felicem extemporalis & inexpectata illa electio; ideo armatus Deo & plenus Spiritu Domini in hoc culmine, ſi fides * Libro Pontificali, collectis quadraginta octo Epiſcopis ſentiens duos eſſe Valentem & Urſacium, qui ſequebantur partes & errorem Conſtantii, eliminavit incunctanter eos è cœtu. Progreſſus ultra ut tunderet Arianos in capite, percuſſit fortiter anathemate illorum mecœnatem Imperatorem Conſtantium. Illata illi Ceræ in Tuſcia in præmium magis quam in ſupplicium ab ejus magiſtratibus obtruncatio capitis, quam optabat, fecit martyrem, ut putant aliqui, eodem ipſo menſe, quo ſederat unimeſtris vix & legitimus Pontifex; ſunt, qui

* *In Liberio.*

Truncatur Chriſti 357. Julii 29.

protrahant ejus pontificatum ad menſes quindecim. Illius ſacræ reliquiæ tranſvectæ Romam à civitate Cere furtivis exequiis collocatæ primùm ad Thermas Traiani, & poſt temporariam in his balneis ſepulturam tranſlatæ à Damaſo cum reliquis Felicianæ communionis Clericis fuere demum repoſitæ intra baſilicam, quam Felix adhuc presbyter extruxerat viâ Aureliâ. Si expendamus primordia Felicis Papæ, nihil occurrit inauſpicatius; nil verò fortunatius ejus exitu: & in hoc feliciſſimus; cum ex Hieronymo, *non initia quærantur in Chriſtianis, ſed fines.*

§. II.

Scio diſceptatum diu & acriter inter doctores de veritate hujus hiſtoriæ, Felicem nonnullis venerantibus ut Chriſti martyrem & ſucceſſorem Petri, expungentibus eum è contra aliis ex utrorumque albo. Cumque lis adhuc eſſet ſub judice, videreturque ſanctiſſimus martyr ſimul & Pontifex caſurus propediem ſuâ causâ & ſpoliandus his ampliſſimis titulis; divinâ providentiâ, quæ nunquam deficit

deficit in neceſſariis, contigit; ut eâ ipsâ periodo exſurrexerit oraturus ipſemet ſine voce è ſuo tumulo velut patronus ſuæ cauſæ ſimulque pronunciaverit in ſui gratiam. Res ſic ſe habuit. Sedente Gregorio Decimotertio, cum ejus juſſu adornaretur emendatio Martyrologii Romani & huic operi deſudaretur impigrè à ſelectis doctoribus: certi erant plerique, illorum præſertim Alpha ſuique ævi ſtupor Baronius [qui de eo argumento jam ſcripſerat grandiorem tractatum] è Romanorum Pontificum ſyllabo Felicem diſpungere ob vitioſum ejus ingreſſum, vel relinquere abſque titulo martyris. Divino tamen miraculo quaſi teſtimonio cœli deterſa fuit hæc dubitatio ſeu religio fluctuantium. Per illos enim dies quibus in utramque partem ventilabatur hæc controverſia; cum perditiſſimi & ſcelerati homines inhiantes ad theſaurum, ut rumor erat, abſconditum ingreſſi nocte concubiâ Eccleſiam SS. Coſmæ & Damiani in Foro altare unum à dextris collocatum ſuffoderent, pro auro & argento, quod anhelabant: re-

Baron. ad ann. 357. n. 63.

Digitized by Google

perere, quod lapillis erat pretioſius & margaritis, arcam marmoream; in cujus altero latere jacebant corpora SS. Martyrum Marci, Marcelliani & Tranquillini; in alio verò reliquiæ S. Felicis cum hac inſcriptione: CORPUS S. FELICIS PAPÆ ET MARTYRIS, QUI DAMNAVIT CONSTANTIUM. Uſus Deus O. M. horum ſceleratorum aviditate conſuluit gloriæ ſui Martyris iſtâ reliquiarum ejus inventione, quæ facta * quinto Kalendas Julij, pridie ſcilicet ejus diei, quo recurrit illius natalis & colitur in Eccleſia. Tempeſtivè ſi umquam; *cum*, ut ſapienter inquit oculatus hiſtoricus hujus rei ſapientiſſimus Annalium Conditor, *de ejus meritis diſceptatio magna eſſet, jamque penè ob innumeras contrarias aſſertiones causâ cadere videretur: tunc opportunè ipſemet Felix viſus eſt admiratione omnium vivus comparuiſſe per ſe ſuam ipſe cauſam acturus; cum jam valdè ſtylo contradicentium eſſet oppreſſus.* Vindicata ſic illi fuit & aſſerta ore Gregorii XIII. duplex illa qualitas, ſive dignitas, de qua tanto partium

* 28. *Julij an.* 1582.

ſtudio litigabant doctores, Papæ & Martyris, iiſque titulis inſcriptus Martyrologio. Dedere manus continuò, qui eas, ut ita loquar, armaverant adverſus ſanctiſſimum illum virum; & ante omnes, qui utramque illius dotem impugnaverat vehementiùs, miraculum pietatis & eruditionis Baronius nondum Cardinalis. Idque teſtatur ipſe ingenuè loco laudato his verbis: *Tantæ rei nonnihil*
N.64. *ipſe unâ cum aliis admiratione perculſus, adinventiſque poſteâ recitatis ſuperiùs Liberii literis de inita ad tempus communicatione cum Arianis; accedenteque ad hæc omnia* [*quod majoris ponderis apud me erat*] *ipſa de ea re ſententia Romani Pontificis, ſtylum modeſtiâ Chriſtianâ repreſſi, quem zelo veritatis acueram, vincique à Felice feliciſſimè accidiſſe putavi.*

§. III.

Vindicatus Pontificatus Felicis.

Et hæc cum ſe habeant eo pacto; mirari ſubit; quod ſcriptores novitii

Digitized by Google

Ciaconius, Hermantius & Natalis Alexander [qui hæc non neſciebant] auſi ſint imprudenter, nè dicam impudenter, poſt ſententiam iſtam decretoriam Gregorii Papæ ſanctum iſtum virum eradere ex albo Pontificum Romanorum. Primus ſiquidem ait in ejus vita: *Nos in Catalogo Martyrum veneramur; inter Pontifices autem haud annumerandum duximus.* Pater verò Natalis longè atrociùs & confidentiùs primâ parte ſæculi quarti; *Felix*, inquit, *pulſus eſt, quem nuſquam legitimum Pontificem fuiſſe nec martyrem longè eſt veroſimilius.* Idem ejuſdem ſæculi parte tertiâ articulo tertio diſſertationis 31. ſuam concluſionem afferens & pronuncians ſuum oraculum velut ex tripode: *Felix*, ait, *Romanæ Eccleſiæ diaconus in Romanam ſedem Liberii loco ab Arianis intruſus legitimus Pontifex nuſquam fuit.* Si hoc exertè aſſeveraſſet vir doctiſſimus ante Romanæ ſedis judicium ore Gregorii, ut Onuphrius & Platina [quorum poſtremus in calce vitæ Felicis hæc perabſurdè ſcripſit de illo, *quem Da-*

maſum ſecutus, licet immeritò, inter Pontifices numeravi: alter verò ſuis in eundem Platinam Notis poſt vitam Felicis tertii, *Felicem*, inquit, *hunc non tertium, ſed ſecundum appellarem; cum is, qui in ſchiſmate contra Liberium creatus eſt, Papa dici non potuerit.*] Si hæc, inquam, ſcripſiſſet ante Romanæ ſedis judicium, laudaremus ejus moroſitatem & probaremus cenſuram. At cum poſt evulgatum Gregorii oraculum in favorem Felicis doctor ille ſuum elucubraverit opus, idque confidentiſſimè affirmaverit; vel hoc ignorans fecit, vel ſciens. Si ignorans [quod eſt incredibile] per-opportunè illi obtruſerim, quod Nicodemo Chriſtus: *Tu es magiſter in Iſraël & hæc ignoras?* Si ſciens & conſultò; ſapit hoc arrogantiam & temeritatem intolerabilem nolle acquieſcere opinioni univerſalis Eccleſiæ & judicio ſummi Pontificis; qui rem definiens in gratiam viri ſanctiſſimi adjudicavit illi utrumque titulum Papæ & martyris. Hæc quamvis ſtabiliendæ noſtræ opinioni ſufficiant, placet inſuper ſuis

Digitized by Google

P. Natalem armis conficere, revincere verbis propriis & illum capere in ſermone; ut oſtendam quam fœdè hallucinatus & lapſus memoriâ fuerit in hoc caſu. Tomo enim ſecundo ſæculi primi ventilans celeberrimam controverſiam de Dyoniſio Areopagitâ, utrum fuerit Epiſcopus Pariſienſis; diſſertatione decimâ quintâ concluſione ſecundâ quæſtionem definit affirmativè contra Sirmundum & Launoium: ibique poſt varias ſuæ concluſionis probationes; *Probatur*, inquit, *decimo nono ex Romano Martyrologio, quod juſſu Pii V. & Clementis VIII. per viros eruditos ad hiſtoriæ fidem emendatum eſt, ex omnium Eccleſiarum Gallicanarum, imò totius penè orbis Chriſtiani Breviariis & Miſſalibus Libris; qui S. Dyoniſium Areopagitam in Gallias miſſum à S. Clemente Pariſienſem fundaſſe Eccleſiam & martyrium obiiſſe Pariſiis teſtantur. Quis porro tot Eccleſias hac in traditione erraſſe dicat & ad fabulæ aſſertionem conſpiraſſe?*

§. IV.

Huic rationi ſubnectit iſtam doctor

emeritus ut maximi ponderis, in qua ſimplicitate chriſtianâ nonnulla thuris aulici grana admiſcet ad favoris aucupium: *Denique cum ſelecti ex ſacra Facultate Pariſienſi Theologi ad Breviarii Pariſienſis emendationem quæſtionem de S. Dyoniſio Areopagita & Pariſienſi Epiſcopo diligenter expendiſſent & in utramque partem ſuis libratam momentis diſceptaſſent coram illuſtriſſimo Archiepiſcopo Franciſco Harlæo; cenſuit Archipræſul ſagaciſſimus & ad rectè judicandum de rebus antiquitatis Eccleſiaſticæ ſpectantibus per eximias ingenii doctrinæque dotes comparatus antiquæ Gallicanæ Eccleſiæ traditioni de uno Dyoniſio Areopagitæ Pariſienſi Epiſcopo in officio Eccleſiaſtico honorem ſuum ſervandum eſſe.* Si expendiſſet Alexander aut meminiſſet ſaltem hæc à ſe ſcripta pro Dyoniſio; nequaquam fuiſſet auſus aſſeverare præfractè ſemel & iterum, ut jam diximus, *Felicem nuſquam legitimum Pontificem fuiſſe nec martyrem longè eſt veroſimilius*: cum eadem numero argumenta, quæ roborandæ ſuæ ſententiæ & vindicando

Dyoniſio protulit, eadem inquam ipſa & iiſdem fermè terminis ſuffragentur & militent pro Felice. Si enim Dyoniſius Areopagita cenſendus ſit Epiſcopus Pariſienſis, quod Martyrologium Romanum id atteſtatur diſertè: nunquid & à pari Felix II. exiſtimandus eſt fuiſſe martyr & Papa? cum in eodem Martyrologio, quod à doctioribus fuit emendatum juſſu Gregorii XIII. utraque illa dignitas de illo enuntietur diſtinctè vigeſimo nono Julii his verbis: *Romæ viâ Aureliâ S. Felicis ſecundi Papæ & martyris, qui à Conſtantio Imperat. Ariano ob Catholicæ fidei defenſionem è ſede ſua dejectus & Ceræ in Tuſcia occultè gladio necatus glorioſè occubuit. Ejus corpus inde à clericis raptum eâdem viâ ſepultum fuit: poſtea verò ad Eccleſiam SS. Coſmæ & Damiani delatum ibidem Gregorio* XIII. *ſummo Pontifice repertum eſt ſub altare.* Nunquid & in Miſſalibus & Breviariis eodem ipſo die habetur ejus commemoratio in univerſali Eccleſia? *Et quis*, ut uſurpem verba Patris Natalis, *tot Eccleſias hac in traditione*

Memoria Felic. II. in Martyrol.

In Miſſal. & Breviar.

Digitized by Google

erraſſe dicat & ad fabulæ aſſertionem conſpiraſſe? Et certè ſi credenda ſunt iſta de Dyoniſio, quod diſceptantibus *Pro* & *Contra* ſeu in utramque partem Academiæ Pariſienſis Theologis in favorem ejus pronuntiaverit illuſtriſſimus illius Eccleſiæ Archiepiſcopus; numquid à pari ſaltem, ne dicam à minori ad majus, credenda ſunt ſimiliter; quæ ſcripſimus de Felice? cum Romanus Epiſcopus Pariſienſi longè major dignitate, juriſdictione, plenitudine poteſtatis & ſingulari Spiritus Sancti faventiâ ſeu aſſiſtentiâ digladiantibus inter ſe celeberrimis totius mundi doctoribus rem definierit in honorem Felicis. Hæc ſi Alexander libraſſet, non concluſiſſet magiſterialiter Felicem nunquam fuiſſe Papam nec martyrem. Quæ cum tacitus reputo, luculenter intelligo quantæ neceſſitatis ſit, ſcriptorem Polygraphum ſive multorum voluminum eſſe [quod de mendacibus aſſerit Ariſtoteles] valdè memorioſum: nè ſi obliviſcatur ea, quæ retrò ſcripſit, contingat ſcriptionis decurſu ſequentia pugnare cum antecedentibus, quod

experimur accidiſſe infeliciſſimè viro eruditiſſimo. Miramur autem, quod profeſſor tanti nominis ſuam probaturus concluſionem tam futiles afferat rationes; ideòque expungat Felicem è ſerie Romanorum Pontificum, quod factus ejus intruſionis certior Athanaſius illum damnaverit; & recenſentes nomina Romanorum Pontificum Optatus Milevitanus l. 2. contra Parmenianum & Auguſtinus epiſtolâ 165. nullam illius fecerint mentionem. Teſtimonia iſta ſanctorum Patrum Optati & Auguſtini eſſent apud me, fateor, maximi ponderis; ſi neſcirem ab autoritate negativâ nihil concludi; & ſi Athanaſius tam benè condemnaret Felicis Papæ exitum, quam initium, quod nos, ſicut & ille, tamquam Acanonicum reprobamus. Nihil libet hîc addere contra reſponſiones parum ſolidas Alexandri ad objectiones graviſſimas; quas ſibi opponit ipſemet eò loci: cribrabrimus fortè eas aliquando in diſſertationibus noſtris.

Finis [redacted].

TTORIO EMAN
BIBLIOTECA
Digitized by Google

Digitized by Google

1471

Digitized by Google

Digitized by Google